

Ad Ascetas
Sub num. 2103

In adversitate huius servanda Nolo. Volo. Cupio.
San. Thome dicit. # 1.
V. S. Nolo hic impatientiam: quis enim ego sum, ut am-
tradam permissioni Divinae, et criminum reus ve.
Alias post graviora feram invitus, cum maximo meo
damno, sine ullo merito. Patientia mihi omnino est
necessaria, in hac posuero animam meam. Jam sa-
tis antea impatientia fuit, de qua doleo, patiar,
moriar, quam impatienter erga Deum me geram ve.
Volo etiam patientiam servare patientiam ve. Cupio ad
finem perire. Tu Jesu patientissime per tuam
patientiam me adjuva. Stans ego afflictionem tue
sanctissime Passionis supplex adjuugo; Tibique ac
tuo Patri eterno, cum ea qua possum humiliter, et fer-
vore in satisfactionem peccatorum meorum, in adim-
pletionem Divinae voluntatis offero: ut quam maxime
tibi infinitas placeam. Adjuutor meus esto ve. Tu quoque
Virgo Dolosa iura me. Divine Patroni
Similiter agendum in Recreatione in Refectione.
V. S. Nolo hic vitium gulae, dissolutionis, cuius enim
ego sum ut propter hanc vanitatem, audeam tantam
maiestatem vilipendere ve. Speculator ad ista deciper, qui
modo nec potest in infernum ve. de munere verbo, potest
cibo reddenda est stricta ratio ve. Alias cibus in venenum,
recreatio in afflictionem, homo in lupum, Deo, quem offer-
derem, permittente mihi ver te ve. Satis antea peccavi ve.
Volo etiam cum modestia mei exemplo etiam, omnem tempe-
rantiam modestiam. Cupio et hic Deo C. placere, Tu Dne Jesu
temperantissime, modestissime, per tuas virtutes adjuvarne q-
by ego hanc meam Recreationem, recreationem adjuugo et offero
ad tua gloriam in adimplerone D. voluntatis tue ve.

279.
~~.....~~

RECOLLE-
CTIONES

Coelestis Kolbussovicis
A D

METHODVM

S. PATRIS NOSTRI
IGNATII

CONSCRIPTÆ

A

P. THOMA MŁODZIANOWSKI,
Polono, SOCIETATIS JESV.



POSNANIÆ,

Typis COLLEGII Societatis JESV.

Collegii Posnensis Societatis Jesu.



BEATISSIMA
 IN CLIVO ROKITNENSI
 ABBATIÆ
 BLEDEVIENSIS,
 MIRACVLIS SVBLIMISSIMA.


Ecclēsiæ Klobuzstovienſi
DEstinaueram quidem Recolle-
 ctiones has, honori serui Tui
 Domini mei Antistitis loci in-
 scribere; sed quia ille, sicut ne à latere
 tuo abiret, latere tamdiu prælegit, ita &
 hanc dedicatorem ad te referri manda-
 uit; hinc Beatissima, cum hoc libello hu-
 millimè Tibi prouoluor. Suscipe me,
 suscipe meos libellos, suscipe libellum:
 cumq; in Cliuo Rokitnensi, vel maximè
 admirandâ magnorum Peccatorum con-

uersione, celebrari volueris, me vt nosti
 Peccatorem, Refugium peccatorum ad-
 mitte. Benedic libello huic, vt eius vsus
 sanctificet animas, Filioq; tuo, tum & tibi
 lucretur. En publico hoc chyrographo,
 desiderium meum, pro seruo Tuo Anti-
 stite loci Tibi inscribo. Impetra ei Beatif-
 sima vitam Sanctam, in ægritudinibus
 patientiæ meritum, in ausibus pro filij
 Tui gloria successum, felicem agoniam.
 Et Iesum benedictum fructum ventris
 tui, ei post hoc exilium, ostende. Amen.

I T A S V P P L I C A T

Tuum Mancipium

T. M. S. I.



Vidit OPALENIAM Rex, arbiter optimus, Argo
 Constante Patriæ velificare bono.

Vnicus instructæ malus tamen abfuit: ergo,
 Pro malo, Sacrum subrogat vltro Pedum.



A P P R O B A T I O

AD Vias Domini in Religiosâ Spiritus perfectione ambulandas, & formandum secundum cor Dei interio-rem hominem, vtilis admodum, & veræ Christianæ pietati fructuosas, plenas arcanis Mysticæ Theologiæ sensibus **RECOLLECTIONES**, A. R. P. **THOMÆ MIODZIANOWSKI** Societatis IESV Sacerdotis, & Theologi, cum sincero gustu, & suauitate mentis, legi, recensui, & pro muneris mei debito approbavi. Dignas proinde iudico, vt lucem publicam, quam merentur, Typis impressæ, aspiciant. Datum in Collegio Maiori 15. Aprilis Anno 1677.

*M. ANDREAS KVCHARSKI S. Th. D. &
P. Canonicus Craconiensis, in eademq;
Diœcesi Ordinarius Librorum Censor.*



A P P R O B A T I O.

INter Religiosa Sacri instituti otia, non otioso sed operoso studio ac labore, exercendi & excolendi Spiritûs assumpsit prouinciam, hoc nobilissimo exercitiorum Spiritualium volumine, Duce & Antesignano primòq; exercitiorum Spiritualium Parète Ssimo, Patriarchâ suo Diuo **IGNATIO**, A. R. Pater **THOMAS MIODZIANOWSKI** Consummatus S. Theologiæ per tot Annos in Collegio Posn: Professor. Insigne admodum, & suo dignissimum authore opus, quo mirum

mirum in modum animos desiderantium profectum in Spiritu illustrauit, vt non immeritò illud luce publicâ dignum censeam; quod futura indubiè cõmunis omnium acceptatio, vsus, & vtilitas magno cum profectû animorum approbabit. Dabam præsentis Posn: Die Inuentionis S. Prothomartyris Patroni mei, Anno Inuentæ apud Deum per Mariam gratiæ 1676. natæ. 77.

*STEPHANVS MORESKI, S. Th. Doct. Can.
Cathedralis & D. M. MAGDALENÆ Præpositus
Posn: à Rndissimo Officio Generali Posn. ad approbandum hoc præclarum opus specialiter deputatus. mp.*



Facultas

PRÆPOSITI PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV PER POLONIAM.

Recollectiones Patris **THOMÆ MIODZIANOWSKI** nostræ Societatis IESV Sacerdotis & Theologi, siquidem PP. Theologi ad reuidendum. Deputati, dignas esse Luce publicâ censuerunt, ego quoq; Potestate ad id mihi factâ à Patre Nostro **JOANNE PAULO OLIVA** Præposito Generali, concedo, vt eidem luci exponantur. Dedi Calissij, 12. Februarij, 1677.

STANISLAVS BRANICKI.



MEDI-

In oratione hęc s. servanda. Nolo, volo, cupio.
 V. S. Nolo hic mentis distractionem, irreverentiam,
 teporem &c. Quis enim sum, ut audeam propter me
 aut aliquem humanum respectum, aut aliquam vani-
 tatem &c. tantam Majestatem vilipendere &c. alias In-
 dium Severissimum Dei me impudentis, et pena
 gravissima michi ubiunda &c. Modo possum corrumpi
 et mori &c. Deus est à me omni honore dignissimus.
 Satis antea in orando deliqui, pro quo infinites dolet
 patiar, moriar, qm irreverenter iam Deo agam &c.
 Volo exemplo illi, B. V. M. &c. Dei omnimodam attentio-
 nem, reverentiam, devotionem, &c. Cupio qm perfectissi-
 me hanc orationem propter Deum perficere. Tu Jesu
 devotissime, p. tuas orationes adjuvame, quibus ego
 hanc miseram meam, cum ea qua possum humiliter
 adjungo, ac cum eisdem orationibus tuis, ac meritis,
 istam meam exilem, cum eo qui est propitius fervore,
 in gratiam actionem, in satisfactionem pro pec-
 catis meis, in laudem eternam, in adimplerionem
 Divinae Voluntatis, ac unionem eternam in impetra-
 tionem michi necessariorum ac un. Supplex offero,
 tuo Patri celsi; ut illi tibi q. una cum Spiritu S. qm
 maxime infinites placeam. Tu quoq. Mater
 impetra michi gratiam vosque S. Patroni.



J N D E X

RECOLLECTIONVM.

MEDITATIO Præparatoria ad Exercitia,	Pag. 1.
FVNDAMENTVM seu Meditatio de Fine, ad quem creatus homo.	Pag. 4.
MED: de eodem Fine Hominis.	Pag. 9.
MED: de Fine Sacerdotis Zelosi.	Pag. 13.
MED. 2. de eodem fine.	Pag. 17.
MED: Præparatoria ad dicendum Sacrum primum.	Pag. 19.
MED: de Fine eorum, qui viuunt in mundo, non se- cundum mundum.	Pag. 25.
MED: de Præparatione ad faciendum votum Casti- tatis in seculo.	Pag. 31.
MED: de Peccatis.	Pag. 34.
MED: de detestatione Peccatorum.	Pag. 38.
MED: de Peccatis Religiosi.	Pag. 42.
MED: de Morte.	Pag. 46.
MED: de Inferno.	Pag. 49.
MED: de Morte & Iudicio Religiosi.	Pag. 53.
MED: de Purgatorio Religiosi.	Pag. 57.
MED: de Modis facilitandi sibi iudicium extremum.	Pag. 61.
MED: de Modis satisfaciendi Deo pro peccatis.	Pag. 65.
MED: Die assumendæ vestis Religiosæ.	Pag. 69.
MED: De Filio prodigo.	Pag. 73.
MED: De duobus Vexillis, Christi & Luciferi.	Pag. 79.
MED:	

MED: de Regno IESV Christi.	Pag. 87.
MED: de Regno & Vexillo Christi in Religione, tribusq; Classibus.	Pag. 93.
MED: de Electione statûs in Religione, & tribus Hu- militatis gradibus.	Pag. 101.
MED: de vita pacata in Religione instituenda.	Pag. 106.
MED: de Paupertate.	Pag. 111.
MED: de perfectione Paupertatis,	Pag. 113.
MED: de Castitate.	Pag. 116.
MED: de perfectione Castitatis.	Pag. 119.
MED: de Obedientia.	Pag. 121.
MED: de perfectione Obedientiæ.	Pag. 123.
MED: de obseruantia disciplinæ Religiosæ.	Pag. 126.
MED: de Medijs obseruandæ disciplinæ Religiosæ.	Pag. 129.
MED: de studendo ad mentem Religionis.	Pag. 132.
MED: de primo Medio, Perfectionis breui acquiren- dæ, quod est, <i>Silentium</i> .	Pag. 137.
MED: de secundo medio, perfectionis breui acqui- rendæ, quod est, <i>Intentionum vsus</i> .	Pag. 140.
MED: de tertio medio, acquirendæ breui Perfecti- onis, quod est, <i>Vsus Præsentia DEI</i> .	Pag. 145.
MED: de Deuotione ad Ss. Trinitatem.	Pag. 149.
MED: de Conformitate voluntatis nostræ cum Diui- na, ad cultum Ss. Trinitatis.	Pag. 152.
MED: de Deuotione ad Ss. Eucharistiam	Pag. 157.
MED: de Christo Crucifixo.	Pag. 150.
MED: de Contemptu mundi, ob amorem Domini Crucifixi.	Pag. 162.
MED: de Deuotione ad Beatissimam.	Pag. 165.
MED: de Amore DEI.	Pag. 170.
MED: de Reingressu in Religionem.	Pag. 173.
MED: de Fine Exercitiorum.	Pag. 176.

ERRA-

E R R A T A

*Paginâ 1. versu 18. super-æquare lege superare, æ-
quare. Pag. 12. v. 6. ipse est dele est. Ibidem v. 23. ex-
fatiua l. exfatiatiua. Pag. 22. v. 6. dicere l. dolere.
Pag. 25. v. 3. habitu l. halitu. Pag. 32. v. 18. non fuisse
dele fuisse. Pag. 37. v. 7. miseriam l. miseram. Pag.
41. v. 30. Iudicia l. Iurâ. Pag. 70. v. 26. ipe l. ipse. Pag.
88. v. 29. est à nobis dele à. Pag. 115. v. 25. affluentia l.
affluentia. Pag. 123. v. 12. obedierint l. obedient. Pag.
129. v. 9. vulnera? l. vulnera, Ibid. v. 10. deberes; l. de-
beres? Pag. 130. v. 15. Nouitiellus l. Nouitius. Pag. 134.
v. 28. Scholasterio l. Scholastico cursu. Pag. 135. v. 4.
capere; l. capere, Pag. 142. v. 2. post Ly Quoties iam
l. exsufflarunt pulmones tui. Pag. 144. v. 17. post Ly
factus sum, & l. mediastinus. Pag. 157. v. penult: quòd
l. quot. Pag. 172. v. 12. Teressia l. Catharina. Pag. 176.
v. 4. liberatu, massatus l. liberatum, affatus.*

O M I S S A

*Pag. 18. v. 8. post ly produces, omissum saltem medi-
atè. Pag. 25. v. 19. post &c. omis: de quo fusiùs in Litu-
gia vniuersali. Pag. 139. v. 14. post ly Refectorio, omis:
loqui. Pag. 143. v. 15. post ly commune omis: hypocau-
stum. Pag. 172. v. 14. post ly amore Dei, omis: qui actus
fuit S. Teressia.*



Oratio ante Meditationem.

1. Deus meus credo te mihi esse presentem, et in mei nihili abyssu demersus Majestatem tuam adoro.
2. Domine propter peccata mea nunc ego in inferno cruciandus essem, me peccata tet offendisse te, per pietatem tuam mihi parce.
3. Pater aeternus propter Jesum, et Mariam prebe mihi lucem tuam in hac Oratione, ut ab ea fructum percipiam. Deinde dicat semel Salutatio Angelica Mariae S. ut ipsa hanc impetret lucem, et semel Gloria Patri, S. Josepho, Angelo Custodi, et S. Patrono.

Meditatio 3. Actibus terminatur.

1. Praeclue Deo agunt de omnibus Illustrationibus quae in Meditatione acceptae sunt.
2. Proponit omnes deliberationes factas fideliter servare.
3. Oret aeternus Pater ut propter Jesum et Mariam auxilium suum prebeat, ad fideliter exequendum quod ei sponsum est. Commendet Deo aas Purgatori, Praelatos Eccliae, peccatores, oes sibi conspuillos, Amicos, Benefactores invitando semel Pater Ave.



MEDITATIO PRÆPARATORIA AD EXERCITIA.

ORATIO, Præparatoria consueta.

PRÆLUDIUM I. Imaginare S. PATREM IGNATIUM, tanquam libri Exercitiorum Spiritualium Auctorem, ad locum Oratorij, tui cubiculi v. g. stantem, & adferentem tibi librum Exercitiorum, & dicentem: Tolle, Lege.

PRÆLUDIUM II. Petes ad genua illius affusus, ut tibi benedicat, ut oret pro te instanter, impetretq; tibi gratiam hauriendi hunc Spiritum, cui Patriarcha IGNATIUS servavit.

PUNCTUM I. Nulla anima est ita illuminata, quin indigeat multis & viuacioribus penetrationibus perfectionum Diuinarum, quam illas hactenus habuerit. DEUS enim Noster infinitus in illis est, modoq; infinito illas possidet: & quomodo capacitas creata illas superare potest? Quid dicis de anima Tua? penetrasne bene, & non mortuam apprehensione, DEUM remuneratorem bonorum & malorum? DEUM regentem mundum, DEUM ubiq; presentem, DEUM suam æstimatione & amabilitate omnem æstimationem & amorem creatum superantem? Selige aliam, quæ lubet, vel vnâ ex his perfectionem Diuinam, eamq; penetrare & gustare stude. Recurre ad misericordiam imperientem lumina, & affectus; vtrumq; pete: Ad vulnera Domini, quæ sunt lux mundi, & illuminant omnem

A

homi-

ave,

2 hominem venientem ad Exercitia : ad viscera Misericordiae MARIÆ; ut ea tibi impendat ad penetrandas has veritates: est enim illa, post DEUM & CHRISTUM, Lucerna Sanctorum omnium.

PUNCTUM II. O quot veritates ex Euangelio nosti? paucas penetratas, & firmiter radicatae habes? Quid tibi luminis in hoc: *Quid prodest homini si uniuersum mundum lucretur &c. Abnega te ipsum. Oportuit CHRISTUM pati. IESUS autem tacebat. Factus obediens usque ad mortem. Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Verum tamen non mea voluntas fiat sed tua. Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. O si vel hoc vnum dulcesceret tibi: Amor meus crucifixus est.* Elige non multas, sed vnam aut alteram ex his veritatibus, vel alijs. desidera has penetrare, & conformibus illi veritati moueri affectibus. Præcipue pete à Domino & Beatissima, ut modò tibi instillent veritatem Euangelicam, quâ te DEUS directum vult in hac vita. Dole quòd illam non agnoueris. Statue perpetuò recordari illius; temporaq; diei tibi decerne, præcipue ea, quæ aliâ occupatione vacant, quibus rememoraberis illius. Utinam assuesceremus interdum saltem eundo v. g. dicere. *Amor meus crucifixus est. & similia.*

PUNCTUM III. Sensus varijs, quibus homo tangi & affici debet, inchoans tranare mare hoc Exercitiorum.

1. Propositum faciendi Exercitia ac si nunquam fecisses.

2. Petes ab æterno Patre ut te commendet Filio suo in his Exercitijs: petes à Filio, ut tibi in Exercitijs sit propitius: à Spiritu Sancto, ut in linguis igneis in te & in tui similes descendat. A Matre Sanctissima, ut in his Exercitijs sentias te esse sub pallio illius.

3. Gratiarum age Ss. Trinitati pro luminibus datis S. Patri

tri pro istis Exercitijs scribendis, faciendis, pro conuersionibus secularium per hæc Exercitia, pro inflammatione Religiosorum, pro beneficijs tibi alijs in illis datis, nunc absolutè dandis, & conditionatè dandis, si gratiæ DEI non resisteres.

4. Offer omnes affectus factos & faciendos quando cunq; ab vsurpantibus Exercitia.

5. Despera de Spirituali vita tua, sitam insigne, immo vnicum adeoq; multo impendio Sanguinis IESU emptum medium tibi non profuerit.

6. Offer aliquid Domino in gratitudinem, quòd tibi hoc medium salutis prouiderit, obtulerit.

7. Incusa te: ò si hoc medium alij haberent, quàm Sanctè illo vterentur!

8. Valedic mundo, Conuersationi, tuis studijs, occupationibus, affectibus, singulisq; dic: *Nemo mihi sit molestus.*

9. Offer pro certis satisfactionibus, ijsq; particularibus, & pro certis ijsq; itidem particularibus impetracionibus, laborem hunc meditando, flectendo, solitudinis, & avulsionis ab omni creatura.

10. Adnota scopum ad quem specialiter in his Exercitijs tendes.

11. Elige Patronos.

COLLOQUIUM. Petes à S. Patre, ut accipiat memoriam, intellectum, & voluntatem tuam: eaq; applicet memoriæ, intellectui, voluntati IESU crucifixi, ut actu hoc dedicentur, benedicantur, in statuq; collocentur digno Exercitijs ritè faciendis. In fine. *Veni Creator.*



(S)(S)(X)(S)(S)

FUNDAMENTVM S E V MEDITATIO.

De fine ad quem creatus homo.

PUNCTUM I. *Creatus est homo ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac reueretur, eiq; seruiens, tandem saluus fiat.*

Confidera imprimis, quòd habuerit DEUS in sua potestate infinitos alios homines, quos creare potuit, & non creauit, nec in posterum creaturus est: sed relicturus illos est, in suo nihilo; & te potius creandum selegit. Vide quomodo te DEUS pro vnico suo habeat! Vide quàm benè tibi velit! Vide quòd aliquid boni singularis de te cogitet, qui te ita singulariter creandum elegit!

Elice gratiarum actionis actum pro creatione. Elice actum oblationis & propositi, quòd etiam amantem, te, vnice & singulariter, vnice & singulariter sis amaturus. Elice actum doloris, quòd non amaueris. Elice actum admirationis, & mirare, quomodo sciens DEUS te talem peccatorem futurum, tamen te elegit!

Confidera deinde finem tuum non esse alium, quàm seruitium DEI in hac vita; & post mortem finis tuus est, visio beatifica, & amor DEI perpetuus. Si ergo finis tuus est seruitium DEI, quàm stultus es, si alium finem tibi statuis? Quantum esset monstrum si ignis vellet frige facere, cum finis illius sit calefacere; quantum esset monstrum, si lapis vellet sursum ire, cum finis illius sit

us sit ire deorsum; hoc planè monstrum, homo est, si in hac vita alium sibi ponit finem, nisi laudare & reuereri Dominum DEUM suum, eiq; seruiendo tandem saluus fieri. Vide quanta fuerit in te Oblitio finis istius? Vide quàm alios tu tibi fines statueris, aut statuere cogitaueris?

Elice actum protestationis, quòd velis seruire Domino DEO tuo. Elice actum retractationis eorum finium, quos fortè tibi assignabas. Statueq; tibi præ oculis mundum, quem tibi pro fine statuebas, & valedic illi, dicens: Seruiam ego Domino DEO meo; statue tibi præ oculis carnem, quam tanquam finem diligebas, & valedic illi, dicens: seruiam ego Domino DEO meo; & sic reliquos peruersos fines animo obi, valedicq; illis. Elice actum reprehensionis tui, & istorum omnium, qui alium sibi finem ponunt, & non seruitium DEI.

PUNCTUM II. Ad hunc finem, hoc est, ad seruitium DEI in hac vita, & ad beatitudinem post mortem, ordinauit nobis DEUS aliqua media.

Confidera imprimis, quòd vt medium consequendi hunc finem, dedit nobis seipsum in Redemptione, det item in Sacramento Eucharistia. Vide quantum medium! Deinde dedit nobis sua supernaturalia bona, gratiam, fidem, spem, charitatem, cum alijs donis, quæ nobis infallibiliter in baptismo infusa sunt. Dedit item inspirationes bonas & instinctus bonos: iuste enim ei confiteri debes, in directione cordis tui. Practicè ergo & fortissimè apprehende, verè DEUM optare tibi finem hunc, verè velle, vt eum assequaris.

Confidera deinde, quòd DEUS pro medio ad seruiendum sibi, dederit tibi, teipsum, hoc est animam tuam, & corpus tuum.

Alloquere animam tuam, vt sciat & cogitet de hoc suo fine. Alloquere Corpus, vt ita se gerat, sicut dignum,

6 gnum, vt se gerat, corpus DEI seruitio consecratum.
Sed gessitne se ita tua anima? gessitne corpus!

Confidera deniq; quòd omnes alias creatas res fecerit DEUS, vt te in eodem seruitio DEI iuent. & ita creauit DEUS terram, quâ non indigebant Angeli, sed nos homines; Creauit aquam, aerem, ignem, res victûs, res potûs, &c. quibus homo, non verò Angeli indigent.

Elice actum gratiarum actionis, colloquere cum Cœlio, terra, rebus creatis, quòd illis ad seruitium DEI non sis vsus. Terra te peccantem toties & non laudantem DEUM sustinuit. Respirâsti hoc aere, longè distitas à DEO habendo cogitationes. Sol te & Luna delinquentem, & sæpe irreuerentem DEI viderunt.

PUNCTUM III. Debemus esse ad res creatas indifferentes, & ad media, quæ nobis à DEO ordinabuntur, pro fine nostro consequendo.

Confidera hîc, multos qui diuites fuerunt esse damnatos, cuius exemplum est in Epulone diuite, mortuo, & sepulto in inferno. Non ergo debeo esse inclinatus, tantum ad diuitias, sed debeo esse indifferens siue ad diuitias, siue ad paupertatem, vt sim pauper si saluari non nisi pauper debeo, vt etiam sim diues, si me benè in mundo habentem, vult DEUS saluum facere.

Confidera item, multos, qui habebant honores, fuisse damnatos, qui si inglorij vixissent, saluati fuissent: debeo ergo esse indifferens, vt sim honoratus in mundo, vel despectus.

Confidera item, multos, qui diu vixerunt in mundo, & vixerunt sani, damnatos fuisse, qui si in iuuentute morte præoccupati fuissent, in cœlo fuissent. debeo ergo esse indifferens, ad diu vel breui vivendum, ad vivendum ægrediendo, vel viuendum in sanitate.

Elice actum obtestationis DEI, quo obtestaberis eius bonitatem, vt te faciat egenum & pauperem, si cum diui-

diuitiis damnari debes; vt te faciat inglorium, contemptum, si te honor ad inferos ducere debet. Elice actum inuidiæ Spiritualis, inuidendo Religiosis qui iam cognouerunt voluntatem DEI de se.

Elice actum timoris, ne si ductus fueris viâ seculi, viâ omnino lubricâ, aberres à fine tuo, hoc est salute æterna.

Quantum attinet ad Religiosos, illis vel maximè indifferentia necessaria est.

Confidera multos ex Religiosis, hoc solo tentari, quia indifferentes non sunt. Si vult DEUS te saluare talento doctrinæ, velis ita saluari; si non vult, cur hanc excellentiam appetis? Multi quia non profecerunt in literis, non fuerunt Religiosi boni, multi quia profecerunt. Remitte successum in istis Domino. Multis gratia, apud superiores & pares, profuit ad salutem, obfuit multis. Ad hos ergo affectus humanos debeo esse resignatus. Multi qui ducti vijs honoris, officiorum sublimium, fortè damnati; Multi his vijs ducti, gloriam & vitam meruerunt æternam.

Cogita de reliquis, ad quæ indiges esse indifferens. Post resigna te ad omnia, & ad quinq; plagas Christi, quinq; resignationum materias assume, & in vulneribus CHRISTI conclude, & absconde dictas materias, sacraq; in æternum.

Obtestare Diuinam bonitatem, vt te faciat inglorium & contemptum, tuq; talenta minuat, abscondat; si te honor & talenta ad inferos ducere debent.

Protestare, quòd veneris ad Religionem, ad omnia mente indifferente, sed cum hac sola, vt Domino seruiens, tandem saluus fias, hancq; mentem innoua.

Elice actum timoris, ne si per plausibilia religionis ductus fueris, præcipites animam, & inclama: Bonum est quia humiliâsti, quia humiliabis me Domine.

Elice

10 meminerit finis tui, qui est cognitio & amor Dei: invita intellectum, ut perpetuo hunc verset cogitatione. Invita voluntatem, ut ad alios non se exporrigat fines, tota amori Domini sui intenta. Invita corpus, ut non impediatur animam Deo servitutam, sed obsecundanti famulatu cooperetur servitio, cognitioni, amori Dei.

Propone imitationem Dei in assiduitate cognoscendi & amandi eum.

Considera rursus. Satis beatus fuisset homo, si illi concessum fuisset cognoscere & amare DEUM in vita, sed ut post mortem, ut tamdiu DEO beetur, quamdiu ipse DEUS seipso beabitur, hoc est in omnem & omnem æternitatem: hoc demum supra omne meritum, expectationem, dignationem est. Gaude hac tibi adpromissa felicitate, eamque supra omnes omnino divitias, honores, plausus delicias æstima? Colloquere cum Domino tuo: Ita ne Domine me eodem beas, quo & te, hoc est te ipso cognito & amato? Agnosce nihil esse in mundo, quod te ita sibi obligarit, atque obligavit DEUS, tam præclarâ finis constitutione.

PUNCTUM II. Recognosce, quæ dedit tibi DEUS media ad finem assequendum?

Considera, quia fideliter DEUS & sincerè tecum agit. Videbat DEUS quod viribus proprijs eum supernaturaliter cognoscere non possis: paravit tibi donum fidei & auxilia supernaturalia, quibus adiutus supernaturaliter de Deo elicias cogitationes. Videbat rursus, quod supernaturaliter illum amare proprijs viribus non possis: paravit tibi habitum charitatis, & auxilia sua. Procedit ulterius Divina bonitas & cum videret suam essentiam non solum supernaturaliter, sed etiam sicuti in seipsa est, nosci non posse à creatura intellectuali: ex thesauris divitiarum suarum, paravit tibi Lumen gloriæ, quo adiutus tuus intellectus in cœlis, videbit Deum

um sicuti est; qua ex visione necessarius & inimpedibilis sequetur amor Dei super omnia. Hæc requies tua mi homo. En Dei erga te benevolentiam! quæ tua tanta erit in te ipsum malevolentia? ut te ab isto subtrahas sine.

Fidenter te, stultum, fatuis stultiore, insipientibus insipientiore, esse affirmabis: si velis alium tibi statuere finem, quam servitium Dei, quam perpetuam recognitionem & amorem Dei.

Accipe imaginatione tuâ bilancem, pone in vna parte, vnius horæ visionem Dei beatificam: vel pone vnius horæ, immò vnius quadrantis, amorem Dei supernaturalem, etiam in hac vita elicitum; pone ex altera parte divitias etiam totâ æternitate duraturas: & videbis non ponderare quicquam divitias omnes. Adde divitijs perpetuis, perpetuos honores, dignitates, prosperitates æternitate non nisi finiendas, ne quicquam ponderabunt. Dominus autem DEUS tuus non ad vnicam horam, non ad duos annos, non ad centum annos, non ad centenarios centenariorum, te creavit ut illum laudes, cognoscas, ames; sed ut id facias perpetuo, in æternum & ultra. Pete à Deo, ut tibi quam amplissimas det istius finis consequendi causâ gratias: firmetque cor tuum, ut intentioni Dei, te, propter suum servitium creantis, quam abundantissimè satisfacias.

Considera item, quod ut magis accendereris, ad servitium Dei, talem te DEUS creaverit, & tot bonis corporis, fortunæ, animi ditaverit. Ditavit te bonis animæ; intellectu perspicaci, memoriâ pro tot discendis bonâ, voluntate non inconstanti, sed firmâ inhxerenteque efficaciter ijs quæ proposuerit; qua in re quam plurimi laborant? Ditavit te bonis corporis: quam multi in mundo sunt cœci, quam multi claudi, quam multi monstrosi? selegit omnia bona DEUS, quæ tibi donaret.

12 Dicitur tē bonis fortunæ, honestis natalibus, Patre & Matre, christianis & probis, non in ergastulo, non in Nosophomio, non in rusticana & abiecta natus es domo, & si humilius natus es, in tantum erectus es. Quis hæc tibi omnia dedit? quis te horum omnium hæredem dixit? ipse & Dominus Deus tuus. Hæc sunt & tanta quibus te inuitavit ad seruiendum sibi, sunt ista inuitamenta, ut te partibus Dei addicas, certus futurus longè & longè maiora tibi à Deo donanda, si illi seruiens tandem saluus fias.

Agnosce, quòd si vel medietatem bonorum, quæ habes, Deus tibi dedisset, fuisses obligatus ad seruiendum Deo. Lapis v. g. non habet à Deo nisi ut sit, & tamen seipso toto seruit Deo: tu & es, & viuus, & sentis, & ratiocinaris, quot ergo nominibus obstrictus es Deo? Elice propositum tam bono Domino seruiendi. Gratias age pro tot bonis eius, cum Psalmista dicens. *Quid retribuam Dño pro omnibus quæ retribuit mihi.*

PUNCTUM III. Recognosce quomodo reliqua omnia ostendant tibi practicè, quòd illa non sint finis tuus, sed finis tuus est solus Deus.

Cogita, quòd tu ipse non es finis non es beatitudo tui, beatitudo enim debet esse possessio plenè exsatiatiua, certè autem tu ipse non es tibi sufficiens; tam multa ignoras, & quæ implenda putas, implere non vis: quomodo ergo tu contentus es te ipso? si non es contentus te ipso, ergo nec finis es tui.

Cogita, mundum non esse finem tuum: quia transit & concupiscentia eius, fallit suos amatores, etiam suos fideles destituit seruos, non ergo mundus exsatiat, non est finis, non est beatitudo.

Cogita quòd deliciae omnes, honores omnes, non sint finis tuus, quia & possidentur sæpe cum remorsu conscientia, cum occasionibus peccati, & destituunt
etiam

etiam nolentes, eripiuntur nolentibus, quomodo ergo ista possunt esse finis, possunt esse beatitudo tua?

Cogita deniq; quàm malè actum tecum fuisset, si alium finem tui, & non ipsummet Deum habuisses. Quibus omnibus perpensis.

Exclama coram cælo & terra: *Quid est homo quia memor es eius?* Detestare infelicitatem tuam, & omnium illorum, qui non agnoscunt finem, finem suum, Deum esse &c. &c. Propone vitam ita componere, ex qua appareat, Finem tuum Deum esse.

COLLOQUIUM. Cum Patre Luminum, ut te illuminet ad perpetuam cognitionem sui. Cum Verbo æterno, ut te gratis sanguine suo emeritis fulciat & instauret ad seruitium suum. Cum Spiritu Sancto, ut te ignis hic Diuinus accendat, ne frigescas in affecutione tam boni, tam amabilis, tam pretiosi finis.

MEDITATIO

De Fine Sacerdotis Zelosi.

PRÆLUDIUM I. Constitue tibi ob oculos CHRISTUM, Apostolos primos Sacerdotes Noui Testamenti, mittentem illis verbis: *Eccce ego mitto vos sicut oves.*

PRÆLUDIUM II. Implora à Christo, ut accensearis in numerum Sacerdotum Zelosorum, mittarisq; à CHRISTO.

PUNCTUM I. Sacerdotis Zelosi, qui est Missionarius CHRISTI, finis est, ut saluus factus, alios Sanctos & saluos faciat. Considera primum Sacerdotè æterni Patris, illiusq; Missionarium fuisse Filium DEI, talemq; fuisse, ut ipsius Sanctitati, sanctitas reliquorum esset alligata. Hoc significat S. Paulus, cum dicit, in CHRISTO omnia constare, appellatq; CHRISTUM Caput hominum & An-

14 gelorum. Rursus post CHRISTUM, Missionariorum & zelosorum Sacerdotum Sanctitati & salutem, reliquorum alligata est salus. Et ita dicit S. Augustinus de S. Stephano: Nisi Stephanus orasset, Paulum Ecclesia non habuisset. Vocaris & tu in communionem istorum fortis, ut tuæ Sanctitati, Sanctitas & salus reliquorum alligetur. Concipe affectum gratiarum actionis quod DEUS tot alijs aptioribus, & magis talem vocationem desiderantibus relictis, te segregarit in seruitium Filij sui.

Concipe affectum quàm maximum seruiendi animabus, à quarum seruitio, intentoq; proposito tui exercitio, neq; tribulatio, nec angustia, nec nuditas, nec persecutio, nec falsi fratres &c. possint te separare.

Verte oculos ad æternitatem, & vide an aliquos iam illic habeas, qui tuis laboribus salutem suam debeant? Gratulare illis & implora eorum auxilium. Verte oculos in eos, qui à te iuuari expectant, & auxilio DEI implorato, sponde illis tuos labores. Verte oculos in triumphantes iam, in cœlo, zelosos Sacerdotes, & in eorum numerum accentuari opta: illorum gratias & talenta tibi deposce: non enim iam in cœlis illis indigent. Verte oculos in Sacerdotes zelosos, totâ Ecclesiâ sparsos, benedictionem DEI illis implora. Inuita ut stupeant, quod te tam miserum, DEUS in opus Euangelij sui eligat. Pete ab illis mente, ut pro te orent, ut te in Communionem suorum laborum admittant. Tu vicissim illis orationes tuas promitte, & sicut pauper, Dominis magnis, de tuis qui suppetent laboribus futuris, offer illis munusculum participationis.

PUNCTUM II. Quænam sunt media, ut Sacerdos zelosus consequatur prædictum finem?

1. Medium Sanctitatis acquirendæ ab ipsismet Sacerdotibus zelosis, est ipsummet seruitium animarum

fit

si enim fiat in gratia, auget illam. Ex laboribus talibus accenditur & irritatur magis amor DEI, Angeli tutelares conuersorum, & ipsi conuersi impetrant gratias. Immo, exceptis Sacramentis, nihil legaliter ita auget gratiam, ut operari circa animas; est enim actus insignis charitatis, cooperari DEO in salute animarum. Primum autem medium, ad Sanctos reddendos alios, est propria Sanctitas. Magna est Concio, dicebat S. Franciscus Assisius, Modestia & vita bona.

2. Medium est, Collocatio à prouidentia Diuina, in loco, in quo scit te melius seruiturum DEO & animabus. Saluta Angelos illius loci, supplica illis, ut pro te supplicent. Trade te in manus collocantis Dei.

3. Medium, sunt ipsa talenta. Discute, quæ illa sint? Considera quomodo illa impendere poteris? illorum usum propone.

4. Medium est, practicus amor Sanguinis Domini Jesu in animabus; ita ut tam grata sit tibi salus vnus animæ, quàm reliquarum omnium: quia DEUS non minus amat vnâ animam, quàm omnes: amat enim toto se. CHRISTUS etiam non minus mortuus est pro vna animâ, quàm pro omnibus. Quid diceres, si vnâ conversâ animâ orbem conuerteres? facis id vnâ animam conuertendo. quia non alio amore, conuersionem vnus animæ, quàm conuersionem totius mundi, amat DEUS.

Propone non aliter animas amare quàm amet DEUS & CHRISTUS, hoc est ita vnâ ac omnes. Pete à DEO ut in te roboret hanc apprehensionem. Pete à CHRISTO ut tibi manifestioribus suarum gratiarum signis confirmet: quod ita, animam tuam amet, ac omnes.

PUNCTUM 3. Sunt aliqui Sacerdotes zelosi qui multos conuertunt: aliqui paucos. Primus Sacerdos zelosus CHRISTUS paucos conuertit propriâ operâ, omnis

16 mnis turba conuerforum fuit 500 circiter. Petrus au-
tem conuertit vnâ Concione aliquot millia. S. Iaco-
bus 9. S. Adalbertus noster in Prussia, quam sanguine
asperfit, nullum. Aliqui sunt qui rudioribus pro sunt,
alij qui dignioribus. Statue te fore indifferentem, vt
in hoc vel illo genere animarum Deus tuâ operâ vta-
tur. Sis indifferens ad fructum, determinatus ad labo-
rem, quem præmiat Deus, non fructum, modò illum
non impediās. disquire per quid illum impedire pos-
ses? Id detestare.

COLLOQUIUM. Petes à singulis Personis vt te
mittant, à vulneribus IESU, & ab ipsa Beatissima, vt
sis Capellanus vtriusque.



MEDI-

MEDITATIO II.

De eodem fine.

PRÆLUDIA, Eadem quæ supra.

PUNCTUM I. Considera quid sit esse Sacerdotem
zelosum? Est habere salutem animarum in manu sua.
Expressit hoc S. Leo loquens de Officio Pastoralis S. Pe-
tri. quod sententia Petri præcedat sententiam cæli, &
præiudicata sit sententia, quòd ille decernit. Non ab-
soluit Sacramentaliter Sacerdos, non absoluit Sacra-
mentaliter Deus. Dicit S. Paulus: *Fides ex auditu: sed
quomodo audient, nisi prædicabunt? quomodo prædicabunt, ni-
si mittantur?* en à primo ad vltimum fides ex Missione.
Assumit te Deus, vt in baptismo, Doctrina Christiana,
non infundatur, nec augeatur fides, nisi te instrumen-
to. Quomodo non stupebis hunc Dei erga te fauo-
rem? qui te de stercore imperfectionum & indignita-
tum tuarum erigit, vt collocet cum Principibus popu-
li sui. Practicè concipe, quantum tibi incumbat onus,
confessiones audiendi, baptisandi, concionandi, Do-
ctrinam Christianam docendi? cum ipse Deus, his me-
dijs, suorum donorum alligârit dispensationem.

PUNCTUM II. Considera quid sit esse Sacerdo-
tem zelosum? est esse dispensatorem Sanguinis IESU &
meritorum illius. CHRISTUS pro omnibus mortuus,
pro aliquibus vt finaliter saluentur, vt autem habeant
omnes sufficientes ad salutem gratias, etiam pro hoc est
mortuus. Vtriq; huic Classi tu dispensabis, tanquam
instrumentum, applicabisq; Sanguinem IESU: habebis
plane communionem officij Diuini. DEUS ex thesau-

18 ris Christi applicat gr̄atias principaliter, tu instrumenta-
liter. Imò ipsum Deum in Sacramento altaris con-
feres. Quid ultra? Si verbo tuo posses facere Papam;
quanta tua dignitas foret? si verbo tuo vnumquemq; di-
uitem, doctum, sanum faceres; quanta te putares à Deo
dignatione muneratum? Ad maius te officium assum-
psit Deus: quia in Confessionibus, aliorumque Sacra-
mentorum collatione, produces aliquid supernatura-
le, & in Eucharistia, Corpus Domini tui.

Pete à Deo gratiam quàm plurimis Sanguinem Iesu
dispensandi. Agnosce thesaurum quem erogare po-
tes; ex quo accipiendo nihil diminuitur. Toties Chri-
stum ponere potes, propagareq; , vt ita dicam, quoties
hostias consecrare. Nunquidne si multas consecraue-
ris deficiet in te potestas consecrandi? Hunc tibi the-
saurum dispensandum obtulit Deus. Age illi gratias,
ama hanc tuam potestatem, vnus tibi fit dolor carere
exercitio dispensandi Sanguinis IESU.

PUNCTUM III. Cogita quid sit esse Sacerdotem
zelosum? est esse Vicarium IESU; ad quem cum perti-
neat animas saluas facere, iam regnans, ad vices suas &
officium suum, te suo modo admittit. Exulta de hoc
vicariatu: sponde, quòd vices Christi sis seriò obitu-
rus. Esse Sacerdotem zelosum, est esse testem, quem
Deus in iudicio est habiturus, quòd curauerit Babylo-
nem & non est sanata. Pete à Deo vt contra nullos te-
steris, sed pro omnibus, quòd scilicet receperint ver-
bum Dei. Esse Sacerdotem zelosum, est esse Militem,
quo Christus peccata, diabolum, carnem, mundum ex-
pugnat. Insulta istis belluis, quòd tibi non nisi gratiã
efficaci destituto, illudere possint: sed tali gratiã fultum
neminem vnquam vicerunt. Conuerte animum tu-
um ad te, & ad animas, quas tibi lucrandas destinauit
Deus. Dic illis: Confidamus, IESUS vicit mundum.

Esse

Esse Sacerdotem zelosum, est esse Matrem Christi Spi- 19
ritualem: dicit enim S. Paulus: *Filioli quos iterum par-
turo, donec formetur Christus in vobis.*

Deplora sterilitatem tuam, quòd forte paucos sis
Christo regeneraturus. Opta, vt in quacunq; anima
Christum genueris, verificetur illud: *Christus resurgens
ex mortuis iam non moritur.* Vt scilicet in illis semper vi-
uat Christus.

COLLOQUIUM. Conuerte te ad Patrem æternum.
Pete, ab illo vt sicut ille semel generans Filium suum,
semper generat: ita & tu semper in animabus Christum
ingeneres saltem orando; vt nullus sit dies, nulla diei
hora, quã dicere non possis, filius meus es tu, ego ho-
die genui te.

Conuerte te ad Matrem Dei. Pete ab illa gratiam
generandi Christum in animabus, eiq; Christum, quan-
docunquẽ à te generandum commenda educandum:
Præsentem eos, in quibus putas te genuisse Christum.
Pete vt illum seruet, educet, tractet, & retractet.

MEDITATIO PRÆPARATORIA,

Ad dicendum Sacrum Primum *et aliorum.*

PRÆLUDIUM I. Oratio consueta emendicans
successum.

PRÆLUDIUM II. Constitue te mente ante alta-
re, in quo celebraturus es, humiliq; exteriori reueren-
tiã factã, mente saltem, te pronum prouolue.

PRÆLUDIUM III. Ingemina illa verba Psalmi.
Introibo ad altare Dei. Introibo, indignus quidem, immò
indignissimus, ijs qui fuerunt, sunt, erunt, indignior.
Introibo tamen, ductus à vocatione tua sancta. Domi-
ne,

C2

ne,

sal-
tem mediati

20 ne, quam benedico in æternum; ductus à potestate Ecclesie mihi concessa, cui volo id rependere laboribus & seruitijs meis ad vitam, immò si velles Domine totâ æternitate. Introibo autem ad altare, quod tu mihi ab æterno prouidisti Domine: quod antè me tot Sacrificijs Sacratum est, Sacrabiturq; in posterum. Ad altare Dei; hoc est eius Entis, quod mens non capit, cuius amore cor meum disrumpi deberet.

PUNCTUM I. Imaginare te omni omnino bono supernaturali spoliatum, vix aliquibus naturalibus præditum, quæ in comparatione eorum, quos digniores nôsti, paucissima sunt: in comparatione eorum, quos non nôsti, sunt tamen, siue in cælo, siue in terra, nulla sunt. Imaginare te insuper sordidatum tuis peccatis, & quâ fronte accedes! Accede ergo imaginatione ad lauacrum, ablueq; manus tuas lacrymis IESU, lacrymis MARIÆ: ablue aquâ ex latere IESU emortui profluente, repeteq; per tertium modum orandi: *Da Domine virtutem manibus meis*, imaginationeq; tuâ statue virtutem quandam supernaturalem manibus tuis infundi. Cogita Caput tuum variarum etiam peccaminosarum imaginationum sedem, exilîs capacitatis instrumentum, præsentandum tamen altari Diuino. Pete ergo à Christo IESU, vt ille galeam salutis intinctam sanguine capitis sui, tibi imponat, vel si mauult & dignatur, imponat tibi spineam suam coronam, quam tu, ô quot titulis potius mereris, quàm Christus. Dicq; per tertium modum orandi. *Impone Domine*. Cogita, turpe esse, vt veste innocentiæ baptismalis spoliatus (quam vtinam anticipatâ millies morte redemisses) ad Dei altare, hoc est thronum Maiestatis Sacramentalis, accedas. Pete ergo à Beatissima Virgine, vt te veste gratiæ, quam habuit à momento Immaculatæ Conceptionis, vestiatur; & quæ panniculos infantis abluebat, ab-

luat

21
luat cor tuum, & quidem sanguine cordis sui, sanguine cordis IESU. Peteq; hoc ab illa ob dolores illius, quos habuit, quando vidit Christum veste albâ indutum derideri, & dic: *Dealba me Domine*, immò dealba me & tu Domina. Perfice reliqua per tertium modum orandi. Cogita qualis debeat esse castitas & puritas tangentis Corpus Christi? Certè Angelicâ maior: tantæ tuæ? Cogita speculum terribissimum S. Francisco præsentatum, dictumq; illi, puriorem debere esse Sacerdotem. En Deum ipsum miraculosâ apparitione à Sacerdotio deterrentem! Tune Sanctior Francisco! tune illud speculum? Pete ergo à Christo, ob nostras impuritates flagellato, cingulum castitatis, quo Angeli adstrinxerunt S. Aquinatem; & dic: *Præcinge me Domine*. Cogita felices olim fuisse Sacerdotes, qui ad altare Dei non accesserunt vnquam, nisi lacrymis madidi, nisi obruti fletibus. Quò illa tempora abiére? sit felix hæc hora, quâ tu dices Sacrum, vel saltem quâ nunc te paras ad illud. Pete ergo à Deo donum lacrymarum in tempore, Sanctæ eius prouidentie placito, & dic: *Mercar Domine*. Cogita impassibile & glorificatum Corpus Christi, multoq; magis ex præcisa dignificatione à Persona Verbi, mereri, vt quàm ab honoratissimo corpore etiam, & non tantum anima sumatur. At quâ indignum tuum Corpus! & quidem adhuc mortis damnatum, ob originalem culpam, in supplementum huius miserie, dic: *Redde mihi Domine stolam &c.*

Cogita te esse bouem illum versus præsepe Christi collocatum, a sellumque, altaris cunis, vicinum: non enim habes sanctitatem MARIÆ, nec dignitatem Iosephi: sis itaq; iumentum Christi in posterum, subdeq; te iugo illius, & dic: *Domine qui dixisti &c. &c.*

PUNCTUM II. Quo affectu deberes recitare hoc Sacrum? Affectu ipsius Christi primum Sacrum suum in Cœnaculo

C3

culo

culo perficientis. Affectu Beatissimæ, suo mirando
Fiat mihi, incorporantis sibi Christum, in altari visce-
rum. Affectu eo, quo parati essent Angeli, si adhibe-
rentur, dicere Sacrum. Affectu eo, quo Sancti in cœ-
lo existentes desiderarent hanc felicitatem Sacrificandi
habere; qui si possent ~~esse~~, dolerent de eo, quod in
cœlo Sacrum dicere non possint, Deoque ipso, Deum
venerari. Affectu, quem aliquando habuerunt, ha-
bent, habituri sunt, Sancti Sacerdotes. Deside-
ra ut pectus tuum sit altare, sicut fuit Sancti Lucia-
ni, qui altari destitutus in carcere supra proprium pe-
ctus celebrauit. Desidera, ut quando confiteberis Sã-
ctis, per illam Orationem *Confiteor Deo*, prægustes de
gloria cœlesti: quod contigisse dicitur P. Lancicio no-
stro, Calissij Sacrum dicenti. Desidera, ut quando di-
ces *Veni Sanctificator*, descendat visibiliter Spiritus San-
ctus: ut legimus de quodam Sancto Episcopo. Desi-
dera, ut quando eleuabis hostiam, transfigant quinque
vulnera Christi membra tua; utque ex Capite eius, quot
Spinæ, tot radij, te in salutem illuminent. Desidera,
ut tibi attollenti hostiam adstent Angeli, tecumque simul
attollant Christum, ut contigit vni ex Nostris Romæ.
Desidera ut in calicem tuum descendat semper Gem-
ma de cœlo, ut descendit in calicem S. Lupi. Desi-
dera ut quando immittes particulam in calicem, im-
mergas te sanguini IESU, illoque te submergas, & amore
illius te præfoces. Desidera ut delicatum Corpus IESU,
extentis manibus tibi communicaturo appropere-
ret; ut non tantum Christum desideres, sed & Christus te.
Desidera, vnum tuum Sacrum, esse compendium omni-
um Sacrorum, collectionem omnium deuotionum; ut
ita placeat Deo vnum ac omnia, idque non propter bo-
num tuum, sed propter honorem exaltationemque Dei.
Desidera, ut hoc Sacrum, ut hæc ipsa hostia obfignet
cor

23
cor tuum, ut quod in illud hætenus reposuit Deus, in
æternum custodiatur & ultra. Desidera, ut hoc tuum
Sacrum dicas in omnibus templis, in omnibus altari-
bus, præcipue desolatis in Ethnicismo, Saracenisimo,
Hæreticismo constitutis, ut in illis replicatus recrees
Christum, nouo tuo Sacro. Desidera illud dicere in
omnibus locis, & cryptis Martyrum. Descende men-
te ad omnes Christianorum in Indijs & alibi Carceres,
velisque ante futuros Martyres Sacrum tuum, pro eorum
consolatione dicere. Desidera illud dicere in purga-
torio, ut animas tuo Sacro liberandas (tuorum noto-
rum præcipue, & consanguineorum) quas tibi forte
Deus parauit, quæ te forte à centenis annorum exspe-
ctare possunt, recrees, & bees. Desidera illud in infer-
no, dicere ut omnes despectus qui illic Deo fiunt sup-
pleas. Desidera denique illud celebrare in cœlo. In
corde IESU & MARIE.

PUNCTUM III. *Quâ intentione debes recitare hoc Sa-
crum?* In omni Sacro 4. sunt Intentiones: Laudatio
Dei, Gratiarum actio, Impetratio, & Satisfactio.

Quoad primam intentionem. Intende Sacro hoc lauda-
re Deum, Processiones Diuinas, quas tibi in memoriam
reuocabis, omnia attributa, relationes Diuinas, perso-
nalitates, & quidquid tandem in Deo est: ita ut velles
vnicuique Diuinæ dignitati, perfectioni, speciale Sa-
crum dicere; ut non sit vlla perfectio Diuina, respec-
tusque in illo reperibilis, quem non adores, non reue-
rearis, non colas, hac tua primâ immolatione: ut omne
illud quod Deus est, tu missæ tuæ exhibitione veneris.
Intende laudare Deum, pro illis admirabilibus
Diuinæ prouidentie factis, pro illis prædestinatorum
selectionibus, pro illis terribilibus quæ exercet Iudicijs,
pro mirandis in ordine siue naturali siue supernaturali.

Quoad gratiarum actionem. Gratias age Deo pro bene-
ficijs

24 **f**icijs datis Humanitati Christi & Beatissimæ. Pro beneficio orbi dato Creationis & Redemptionis. Pro beneficijs datis Ss. in Cœlo iam regnantibus, in particulari pro beneficijs S. N. N. pro beneficijs datis omnibus prædestinatis, dandisque in posterum, pro beneficijs nunc viventium, & postea victurorum hominum. Pro beneficijs omnibus damnatis, damnandis, datis, vel dandis. Pro beneficijs collatis quibuscunque Creaturis, quas tantâ varietate, pulchritudine, cultu, creavit Deus. In particulari ad agendum gratias pro beneficijs tibi datis, quæ animo obi.

Quoad Impetrationem. Pete augmentum gloriæ accidentalis Christo, Beatissimæ, Ss. omnibus. Impetra gratias prædestinatis, viventibus, & victuris, quos specialiter amare debes: quia etiam Deus eos specialiter amat. In impetrationem beneficiorum omnibus Capitibus Ecclesiastici & politici mundi. In impetrationem gratiæ omnibus consanguineis & benefactoribus tuis, omnibus amicis, & inimicis tuis, quos habiturus es: omnibus vocatis ad meliorem vitam, & ijs quos tibi specialiter adstrinxit Deus, ut illorum saluti coopereris. Impetra gratias omnibus Hæreticis, Turcis, Ethnicis, Schismaticis, malis Catholicis. Impetra cōsolationem afflictis, nauigantibus, itinerantibus, ægrotis, incarcerationis, iam iam agonisantibus, ut nullus malo fine decedat toto mundo, præsertim sub tempora tuorum totius vitæ Sacrorum, præcipuè verò primi. Impetra tibi gratiam Sacerdotalis officij: ut semper dignè & deuotè celebres, lucreris multos Confessiones audiendo, Concionando; ut nullus indignè ex tua manu vnquam communicet. Reflecte te ad catalogum tuarum necessitatum, illisq; hoc Sacro prouideas. Extende tuas impetrationes, ad totum omnino mundum, ut nulla sit anima, etiam herbula, cui benedictionem Diuinam non impe-

25 impetres. Tibi deniq; impetra actum contritionis in omni Confessione, & tam vehementem amoris Diuini actum, qui te in extremo habitu extinguat.

Quoad Satisfactionem. Offer hoc Sacrum in satisfactionem peccatorum totius mundi, in particulari occisionis Christi, peccati originalis, omniumq; reliquorum scelerum. In satisfactionem pro peccatis tuis, tuorum. In satisfactionem pro animabus purgatorij. In particulari, ad manum dextram Crucifixi pone deuotos ad eundem, in manu sinistra deuotos ad Beatissimam. In pede dextro pauperes pro quibus nemo orat, & pridem iam mortuos, quorum nulla memoria. In pede sinistro eos quos vult Deus à te iuuari, & iacentes in Ecclesia. In dorso Christi flagellati, eos quos peccato carnali infectos saluauit bonitas Diuina, & nunc primum mortuos. In vulneribus Capitis, omnes tuæ gentis animas, & eas quæ diu futuræ in purgatorio ut eis prouideat Deus liberationem. In corde Iesu animas iam iam liberandas, tuorum consanguineorum &c. &c. *de quo fusius in libro glæ uersali.*

COLLOQUIUM. Prout Deus suggererit ad Eucharistiam, quam imaginaberis à te eleuari.

MEDITATIO

De fine, eorum, qui vivunt in mundo, non secundum mundum.

PRÆLUDIUM I. Statue te ante Thronum incomparabiliter splendidiorem, quàm sit sol, & in illo renidentem oculum, hoc est prouidentiam Domini nostri, quæ secernit animas, & has quidem curæ huius, illas curæ illius Sancti Fundatoris, commendat.

PRÆLUDIUM II. Pete, ut inter has selectas animas,

26 nimas, tua etiam reperiatur, & commendetur v. g. cura Sancti Patris Ignatii, dirigenda per filios eiusdem.

PUNCTUM I. Unicè hoc spectat ad viuentes in hoc mundo, non secundum mundum, vt in suo statu, imitentur vitam Religiosam. Cùm enim vita Religiosa sit, secundum Euangelij dictamina, tendere ad perfectionem, certè qui viuit in mundo non secundum mundum, & niti Euangelij dictaminibus, & tendere ad perfectionem debet. Placenthè tibi hæc dictamina? placethè hæc tendentia? Fac propositum vtriusque. Porro ipsa vita Religiosa pro primo fundamento habet, egressi è seculo, abnegare domum, sanguinem, abundantias & commoditates seculares. Egressus hè es tu ita ex mundo, vt iam domus tua, non sit domus tua, consanguinei tui, non sint tui, & vt exterior tua compositio, non mundum oleat, sed quandam Religiositatem.

Gratias age Deo pro vocatione ad hanc vitam, status tibi domum tuam, apparatus, commoditates seculares; abnega hæc, vt impleatur in te verbum S. Pauli: *Vientes hoc seculo, quasi non utantur.* Penetret hoc cor tuum: viuo in mundo, sed ad mundum non specto. Verite intuitum tuum ad oculum prouidentie diuinæ, & pleno corde, pete ab illa, gratias particulares, vt viuas in mundo, non secundum mundum. Sit apparatus circa te statui tuo competens, sed anima, semper Deo coniuncta; sit mensa qualis te decet, sed tua refectio sit frugalis, & semper aliquid de pauperie referens; modestia etiam vestitus, saluo statu, retinenda, dispice in quo hinc indigeas correctione, proposita forma.

PUNCTUM II. Secunda Religiosa perfectio, eaq; essentialis est, observatio trium votorum: Paupertatis, Castitatis & Obedientie. Hinc qui vult viuere in mundo, non secundum mundum debet imitari Religionem, in illorum obseruatione.

Tua

27
Tua paupertas consistat in hoc, vt ad tuas possessiones, supellestem, diuitias, affectum exuas; hoc est, vt velis potius hæc omnia perdere, mendicato pane viuere, quàm Deum mortaliter offendere. Esthè tibi talis in animo paupertas? erithè iam? fac eius propositum.

Pauperies tua stabit & in hoc, vt sis resignatus, si Deus voluerit, te omnibus his spoliare: resignatus inquam sis in voluntatem Dei, ita, vt cum Iob dicere possis: *Nudus ingressus sum in mundum, nudus reuertar illuc.* Resigna omnia tua bona in voluntatem Dei. Conuerte te ad Thronum prouidentie diuinæ, & ante illam enumera, quid illi resignes, quid illi offeras? vt te spoliet omnibus his, si eius Sanctæ placuerit voluntati.

Consistat & in hoc paupertas tua, vt re ipsa quod commodè potes, affectu autem & corde, omnia, in elemosynas expendas; vt merearis illud elogium Sacrum: *Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* Hinc affectu, promptitudine, & quoad animum expectatum, protestare, quòd si secundum statum tuum foret, velles omnia hæc propter Deum expensa, quòd ex omnibus diuitijs tuis velles aliquod pretiosissimum balsamum conficere, illud cum corde tuo accendere, absumere, propter Deum. Respice ergo bona tua, vt bona Deo Domino tuo resignata.

Castitas tua ita imitetur castitatem Religiosam, vt eius, si status tuus patitur, concipias votum: sin minus, quid in supplementum facere debeas, seriò tecum expende. Fac præcipuè, vt non tantum, Deus auertat, factò, non tantum Deus auertat cogitatione vel consensu deliberato, sed ne quidem veniali plenè deliberato peccato, Dominum tuum in hac materia offendas. Procul sint ab ore tuo & auribus allegorie lasciuæ, non oleat anima tua lutum & fimum carnalem, sed penetre-

D 2

28 netretur sanguine Domini IESU; qui extinguit omnem libidinem carnalem, Estne ita anima tua penetrata? dole & redole, quod talis non sit. Estne anima & caro tua gemma pretiosa, quam possit Dominus IESUS Beatiſſimæ pro munusculo offerre, vt te inter pretiosa feruet, & primùm in agone, reddat Christo? Fætet mundus carnalibus turpitudinibus: sit anima & corpus tuum bonus odor Christi, qui obruat putorem carnalitat. Esne talis odor Christi? Fac propositum cum Dei gratia, fundandi te in hac virtute, cum in seculo viuentes rarissimè in illa non cespitent. Obedientiam Religiosam in hoc imitare. Elige tibi prudentem aliquem & in Spiritu exercitatum virum, cui in rebus animæ & conscientiæ tuæ, sincerè obedias. Si id non placeat, nec ferant circūstantiæ, & habeas domi virum aliquem quem coram Deo æstimes, reuerere illum, saluo statu, tanquam tuum superiorem. Si ne id quidem fieri possit, dedit tibi Dominus superiorem internum, nempe conscientiam tuam, si hunc superiorem prohibentem, si suadentem, sequaris, magnam certè & animæ tuæ utilissimam obedientiam præstabis. Pro visibili autem superiore, altiore potestate, cui quisq; subest, habeat, reuerentiamque ei & obedientiam, non tantùm politicam, & ad oculum, sed internam, & ab Apostolo impositam exhibeat: impositam inquam ab Apostolo dicente: *Obedite Præpositis vestris, non tantùm ad oculum seruientes, sed tanquam Domino.*

Protestare, quod velis has obedientias seruare, offer te & ad hoc, quod voluiffes etiam Religiosâ obedientiâ stringi, si te ad illam vocasset Dominus. Gratulare hanc felicitatem Religiosis personis. Pete à Christo, vt superiorem hunc tuum, nempe conscientiam, ipse Dominus dirigat, tibi autem gratiam conferat obediendi huic superiori,

PUN-

PUNCTUM III. Unusquisq; status Religiosus, & 29 familia Sacra, habet peculiare suas institutiones, quibus Deo & Ecclesiæ recommendat animas suas in benefactis, quæ longum esset prosequi. Ii qui in Spiritu vtuntur operâ Filiorum S. Patris GENATII, in hoc perfectionem huic Religioni etiam propriam imitari possunt. Dixi etiam huic Religioni propriam: quia eam secundum suum statum, etiam aliæ Religiones sectantur. Particularis Spiritus huius etiam Religionis est, in hoc: attendere, perfectioni propriæ, & post emūdatam conscientiam à peccatis, coniungi interiùs Deo, seu interiùs operari; à quo exercitio, nec sanitate, nec negotijs, quisquam se iustè excusare potest. quæ interior coniunctio cum Deo cum sit occulta, nec oculis subfit, minus est vanitati subiecta. Et tu in interiori tua deuotione qualis es? quid te impedit ne semper aduolutus sis mente tuâ pedibus Domini IESU Crucifixi? ita vt ipso cœlo inquirente vbinam sis? verè respondere possis: Nolite me alibi quærere, nisi ad pedes Domini IESU Crucifixi. Interior deuotio huius etiam Religionis est, in imitatione Domini IESU Crucifixi, vnde ab hac sequela Domini nostri, vocatur hæc Religio, Societas IESU; estq; eius peculiaris regula, vt desideret indui vestibus Domini IESU, vt desideret irrisiones, contemptus, & opprobria, nullâ tamen ad hoc datâ causâ. Et tu imitariſne in hoc Christum Crucifixum? desiderasne indumenta eius, opprobria, contemptus, disgustus hominum, nulla datâ causâ?

Ad internam Sanctitatem promouendam, spectat etiam frequens Eucharistiæ sumptio; vnde & in lectionibus de Sancto Patre legit Ecclesia: quod Sacramentorum frequentia, Ecclesiarum nitor, ab eo incrementum accepere, ex vsuq; Religionis, Sacerdotes eius, singulis diebus celebrant. Imitariſne in hoc Spiritum huius

D 3

30 huius Religionis, vt tibi placeat, quantum à parte tua fieri potest, iuuare nitorem Ecclesiæ? desiderasne, si tibi status tuus permitteret, venerari Deum supremo hoc cultu, qui est dicere Missam? desiderasne si status permitteret, singulis diebus communicare? facisne id re ipsâ eâ frequentiâ, quæ statum tuum deceat, & secundum consilium Patris Spiritualis?

Secunda perfectio huic etiam Religioni propria est: seruire salutem animarum, vsq; ad defatigationem, vsq; ad mortem.

Imitare hanc perfectionem, reducendo quos poteris, à peccato mortali. Circumspice, quid in particulari circa id possis?

Imitare hanc perfectionem, docendo alios, siue rudimenta fidei, siue deuotionem aliquam.

Imitare magis affectu, desiderando ex corde, vt omnes infideles & Hæretici conuertantur: desiderando omnes peccatores, ad Deum adducere: desiderando omnium Concionatorum, Confessariorum, disponentium ad mortem, ore loqui, labore fungi: Desiderando deniq; inter Hæreticos & Indianos non tantum fidem propagare, sed etiam pro eadem, non tantum mori, sed millies emori. Et ita viuendo in seculo, viues tanquam Iesuita. Cogita similia, secundum statum vniuscuiusq; Religionis, cuius operâ, in spiritualibus tuis exercitijs vteris.

COLLOQUIUM. Mente aduolue te pedibus v. g. S. Patris IGNATII, & pete ab illo, per amorem Sanctissimæ Trinitatis, cui ille speciali deuotione fuit adstrictus, pete per amorem Domini Iesu Crucifixi, sub cuius vexillum, Religionem hanc collegit, vt impetret tibi gratiam viuendi secundum Spiritum, cui hæc Religio, & Patriarcha imprimis IGNATIUS seruiuit. Et quia (vt fertur) visa est Beatissima Religionem nostram, pal-

lio

lio suo contegens, pete vt idem Sanctus Pater, te desiderantem eiusdem Religionis Spiritu viuere, sub idem pallium deducat, seruandum vsq; in diem magnum. 31

MEDITATIO

De præparatione ad faciendum votum castitatis in seculo.

PRÆLUDIUM I. Constitue te ante Dominum IESUM, circumdatum nonnisi ijs Sanctis, qui voto castitatis, vnquam se adstrinxerunt.

PRÆLUDIUM II. Pete vt in numero illorum accensearis.

PUNCTUM I. De varijs generibus faciendi castitatis votum. Primum est, vouere Virgineam Castitatem, cuius voti faciendi non pauca hucusq; exempla, sed impletio illius, etiam seruata materiali Virginitate, & insuper nullo etiam veniali deliberato peccato in hoc genere, violatâ, multo magis ne quidem involuntariè, ne quidem inaduertenter ei contrariando, valde rara. Habet tamen & tales animas Christus. Pete vt illæ hac suâ castitate, hoc suo voto, tanquam pretioso lapide, offerendum à te votum exornent. Pete à Domino, vt eos, quos tales in Ecclesia nunc habet, gratijs suis confirmet, & numerum talium in Ecclesia militante augeat, triumphantem etiam aucturus. Iudex Dei oculus, potestne te inter tales accensere? dole, & apprimè dole, si culpâ tuâ non possit. Secundum genus voti, non est quidem in se spectatum ita altum & eminens, est tamen operosius, victoriosius, nempe florente ætate, in statu coniugali ex mutuo consensu emittere castitatis votum. Huc reuocari debet castitas Cæciliz, & Valeriani, castitas Alexij, Eleasarj, & aliorum heroum. Appro-

32 propria tibi victoriosam hanc castitatem, & eam inno-
ua Christo, peteq; ab illo, vt votum tuæ castitatis à te
faciendum, hac pretiosâ gemmâ, decoret. Pete bene-
dictionem ijs, qui viuunt nunc in Ecclesia, & tale vo-
tum obseruant. Pete vt diuina bonitas hoc in illis vo-
tum tueatur. Tertium genus est castitatis vidualis, quæ
si fiat florente ætate, multum Deo placet; & tales de-
bent Deo gratias agere pro affectu sibi inspirato, pro-
testariq; quantum mortuo suo deferant, cuius amorem,
non nisi in Christi commutant amorem.

Facio Domine iam iam votum Castitatis meæ, & fa-
cio in Nomine Ss. Trinitatis, petens à Ss. Trinitate, vt
in classem, trium istorum vouentium. Deo castitatem,
me, ex infinita sua benignitate, dignetur acceptare.

PUNCTUM II. Recense tibi causas, quibus mo-
ueris ad hoc emittendum votum, sed & harum non o-
bliuiscaris. Primò si non faceres votum Castitatis, non-
ne tibi internus animæ sensus dicit: te non fuisse habi-
turum in alio statu benedictionem diuinam? sequere
hunc instinctum, & protestare, quod quamuis tibi de
hoc defectu benedictionis diuinæ, nec per reuelatio-
nem, nec per demonstrationem constet, tamen æsti-
mandam, & ex timore ne eâ careas huic interno o-
bedias, & satisfacias sensui. Tantum amo benedicti-
ones tuas Domine, vt earum amittendarum, vel mini-
mus me percellat timor. Secundò. Vixi ego, vel si non
vixisti, dic: viuam alij mundo, ego Christo viuere vo-
lo. Tertio, Docet Ecclesia voto castitatis desponsari
nos Christo, & quæ tuæ indignitatis, maior potest esse
dignatio, quàm illi desponsari? Quarto, Statue tibi to-
tum mundum, statue quidquid te ab hoc voto retrahere
potest: & mente, pete benedictionem, à pedibus
Domini Iesu Crucifixi; illaq; acceptâ, per calcatum
perge mundum, & ad Christi vexillum evola. Quintò,
Tres,

33 Tres sunt capitales voti Castitatis hostes: Mundus, Ca-
ro, Diabolus. eiura amicitiam illorum, cum illis inimi-
citiâ contrahe, probrosiq; sed veris, illos affice co-
gnominibus: nempe quod mundus sit fallax, diabolus
cruenta bestia, caro fatens.

PUNCTUM III. De ornamentis ad hunc actum.
Primum ornamentum sit dolor de peccatis, quia vo-
tum in mortali conceptum, licet obliget, non est tamen
meritorium vitæ æternæ, nisi in gratia Dei ratificetur.
Elice ergo actum doloris: & quia dum terrestre con-
nubium contrahitur, vtraq; pars, quantum fieri potest,
submouet maculas, nec illota apparet, laua & tu ani-
mam lacrymis tuis, & Sanctorum, sed maximè Sangu-
ne Domini Iesu: vt in te nulla etiam venialis peccati,
maneat macula. Secundum ornamentum: Protestare,
quod velis hoc votum facere, eo affectu & deuotione,
quo illud aliquando Sancti Dei emiserunt: quo emisit
ea, quæ primum Virginitatem vouit, Virgo Virginum,
Deipara Virgo: & quo affectu vouit vota sua, Verbum
Incarnatum. Tertium ornamentum. In contractibus
matrimonialibus interueniunt iura dotis, contra dotis:
da ergo Christo dotem: quam illam? dotem cordis tui,
quod nusquam mortale peccatum, non tantum contra
votum, sed nec in alia materia, illo adiuuante, sis com-
missurus. A Christo pete dotem gratiæ, vt hoc ipsum
impleas. Quartum ornamentum: Elige tibi Patronos
tuæ Castitatis: in particulari Beatissimæ & S. Iosephi
noli obliuisci. Elige & alios, peteq; ab illis, vt te factu-
rum votum, deducant ante conspectum Dñi Iesu tui.
Quintum ornamentum: Cum etiam in Beatissima Vir-
gine, placuerit Deo castitas, sed humilitati coniuncta,
fac eius actus. Primum, Quod indignus sis qui votum
hoc facias, respondeasq; tibi Christum. Secundo:
Quod desperes, attendendo ad tuam malitiam, te illud
E imple.

34 impleturum. Excita tamen in te actum spei, quia non derelinquet te Saluator tuus, ad quem tu ruptis omnibus difficultatibus properas. Petesq; ad singula vulnera Iesu, vt potius moriaris prius, quam violare deberes votum tuum.

COLLOQUIUM. Pete à Beatissima vt te manu ducat ad Dominum IESUM; pete vt exponat illi, quòd intentione faciendi huius voti, ad Thronum eius accesseris; pete vt te recommendet Filio suo, ne contemnat animam tuam, & votum, quod illi paras. Tu autem mente prouolutus ad pedes Iesu, linguâ pedibus eius tinctâ, ore ipsdem inserto, fac ipsum votum, verbis à te, vel à Viro spirituali præconceptis.

MEDITATIO

De Peccatis.

PRÆLUDIUM I. Imaginare animam tuam funibus peccatorum ligatam, Deo Iudici iam iam sistendam esse.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam cognoscendi multitudinem & fœditatem peccatorum tuorum.

PUNCTUM I. Primum peccatum, quod fuit in mundo, fuit peccatum Angelorum, quibus cum reuelâset Deus, secundam Trinitatis Personam humanæ Naturæ uniendam fuisse, adeoq; ab omnibus adorandam, illi superbiam elati, submittere se Deo homini noluerunt: ob quod ignibus damnati æternis.

Considera hinc inprimis, tantam esse excellentiam vnius Angeli, vt cum vno minimo, milliones hominum comparari non possint, illiq; æquialere. Et sicut tanta est excellentia animæ rationalis, vt omnes vniones & gemmæ, omnes diuitiæ & thesauri; inferiores & vi-

liores

liores sint animâ: ita viliores sunt omninò homines, vno vel minimo Angelo; idque propter excellentiam speciei illius. Hos Angelos, tam multos, tam nobiles, idq; non propter multa peccata, sed nonnisi propter vnum semel tantum perpetratum, in æternum & æternum damnauit Deus!

Interroga teipsum, quot infernos debet tibi iustitia Dei? qui toties, & toties, & tam grauitè deliquisti. Elice actum agnitionis coram omnibus condemnatis Angelis, quòd maiori misericordiâ Deus tecum hactenus vsus sit, quam cum omnibus illis, quem peccantem quotidie, & non penitentem, timor inferni, ad penitentiam non conturbauit. Quid putas, si illis Deus spatium nunc penitentiæ daret, quam illam rigidam, quam dolorosam agerent? & tu vitam tuam ad penitentiam non vteris. Elice actum doloris de peccatis, & propone emendationem vitæ, dicendo cum Psalmista, *Iuravi & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Et cum S. August: dic: *Cras cras, & cras: cur non hodie finis turpitudinis meæ?*

PUNCTUM II. Aliud peccatum, quod fuit in mundo, erat peccatum primorum Parentum, nempe comestio cibi vetiti. Quidquid malorum est in vita humana, totum id, pœna est, primi illius originalis peccati. Considera hinc, quòd in peccato originali duo sint, malitia illius, & simul connexio peccati Parentum, cum reliqua posteritate, vt cuius connexionis, fit, vt quot puri homines ex Adam nascuntur (exceptâ Beatissima) omnes in peccato originali nascantur. Peccata quæ postea sunt subsecuta, non habent hanc connexionem cum alijs personis: & ita peccato Stanislai non peccat Ioannes. Cæterum pensando malitiam, potest esse peccatum aliquod particularis hominis, maius peccato Adami; & sic peccatum Iudæ, quod fuit venditio Christi, maius erat quam peccatum Adami, peccatum

E 2

item

36 item Christicidij. Reuoca tibi in memoriam turpitudines tuas, reuoca negligentias, reuoca peccata: pensa, an non malitia illorū excefferit malitiam peccati Adam?

Elice actum humiliationis, & agnosce, te verè & magnum quidem peccatorem esse. Interroga misericordiam Dei, quo pacto fieri potuerit, vt post peccatum Adami, impetrare a Deo non potuerit, ne eijceretur Adam ex paradiso? impetrauit autem misericordia Dei, ne tu statim post peccata tua punireris! Age gratias pro tanta clementia.

PUNCTUM III. Discute, non immorando singularis, sed cursim tantum examinando, conscientiam tuam. Beatus Aloysius Gonzaga nono anno vitæ suæ, fecit votum Castitatis, & nunquam deliberatè totâ vitâ suâ, etiam venialiter in materia graui, offendit Deum. Cogita an non tu æquè citò ratione vt incepseris, & peccare? idemq; tibi principium erat intellectu vtendi, & Deum offendendi. Confundere, & dic: non tu id de me sperabas Domine, qui me ita amâsti. Procede per alios annos tuos, loca, & Ciuitates in quibus vixisti: & vide, quod annos tuos, & omnia loca, non faciendo bene, vti Christus, sed malè agendo obiueris. Admirare Dei bonitatem, quæ te tam diu sustinuit. Elice actum desiderij quod velles annos tuos redire tibi: quod velles omnibus illis locis, momentis, sicut peccâste, ita pænitere; & quæ profanâsti loca peccando, quod velles, bene agendo dedicare.

Cogita te esse vnum canem mortuum, factore peccatorum putidum, & nequitiarum tuarum arrosam veribus.

Cogita te esse suam redeuntem ad volutabrum, cum tamen toties pretioso Christi sanguine, totus rubricatus fueris, quoties confitebaris vel Eucharistiam sumebas.

Cogita te esse vnum vlcus sanie peccatorum fluens.

Cogita

Cogita te esse maximum in orbe peccatorem, detestabilem dæmonibus, semel tantum peccantibus. 37

Testare ergo cælum & terram, quod peccâris super numerum arenæ maris, & non sis dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis tuæ.

Opta tibi tot lacrymas, quot guttæ in mari vel arenæ, quibus defleas miseram & miserabilem conscientiam tuam.

Dic Deo, nullum esse malum, quod tibi non debeatur, mille te infernos pro meritum agnosce. Sed tamen dic, nihil te dolere magis, quàm quod tam bonum Dominum offenderis. Doleo mi Iesu quod te summum bonum offenderim. Doleo autem non propter timorem pænæ, nec propter præmij spem. Sed ex puro solo, vnico, amore tuo, quia Te offendi, o Bonum summum, o Bonum amabilissimum, o Bonum infinitum.

Dic cum S. Augustino. *Serò te cognoui b Bonitas tam antiqua, serò te cognoui.* Resolue te ad omnem pœnitentiam: resolue ad nouam vitam; & hoc serid, & serio considera, quod sicut es singularis peccator, ita singularem pœnitentiam agere debeas.

COLLOQUIUM. Institues cum Christo Crucifixo: vt qui venit peccatores saluos facere amplectatur animam tuam brachijs suis, quæ ad peccatores amplectendos laxauit. Dic illi cum Latrone: *Domine memento mei,* aduolutusq; pedibus eius cum Magdalena, non dimittas eos, nisi Dominus Iesus benedixerit tibi, summusq; ille Sacerdos te dignanter absoluerit.



E 3

MEDI-



MEDITATIO

De detestatione Peccatorum.

PRÆLUDIUM I. Cogita, ante seuerum Iudicem, ingentem codicem notatione peccatorum tuorum refertum, præsentari tibi à Dæmone.

PRÆLUDIUM II. Exclamabis cum filio prodigo: *Peccavi Pater coram te, nec sum dignus vocari filius tuus.*

PUNCTUM I. Detestandum est peccatum: quia nullus est qui tandem aliquando non doleat, quod peccarit.

Confidera, lasciuientium Iuuenum, & se ad inuicem ad luxuriam & delicias prouocantium, voces in scriptura esse: *Ergo errauimus. Nos insensati vitam illorum* (proborum scilicet) *reputabamus infantiam; illi autem sunt in pace.* Confidera, Salomonis, post tor delicias, de quibus dicit, quod habuerit quidquid anima eius desiderauit, vocem ultimam fuisse: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Cogita Magdalenam peccatricem, lacrymis pedes Domini rigantem, & capillis tergentem. Cogita Petrum negantem, & aspectu Domini ad poenitentiam reuocatum fleuisse amarè. En & mali homines, hoc est illi iuuenes, & ex malis probi effecti, dolent quod peccarint. Vnde infer, detestandum aliquod malum esse peccatum; quod, tandem aliquando dolere debeamus, nos fecisse.

Et quousq; ego detestationem meorum peccatorum differam?

Confidera rursus ita detestandum malum esse peccatum: vt si totus infernus sciret te velle hodie grauitè peccare, hodie à te peteret, ne peccares. Docet fides

Socie-

Societatem bonorum esse partem felicitatis cælorum; Societatem autem damnationis, esse partem mali infernalis. Iam autem peccando, quid aliud facis, nisi addicis te inferno? quid sis peccando, nisi socius infernalis, particeps eiusdem condemnationis? sis, breuiter loquendo, augmentum inferni. Et quis condemnatorum non petit, ne sibi augeantur pœnæ? inter quas, quia est Societas damnationis, quam peccando incurris, hinc peteret à te infernus, ne peccares. Habes eius rei exemplum in Euangelio. Iacebat pauper Lazarus vlcibus plenus (quod cum compassione cogita) ad fores diuitis, peribat fame, ipsi autem canes clementiores erant suis Dominis, dum ambesa ossa deferrent Lazaro, vlceraq; eius lingerent: sed post mortem, portatus Lazarus in sinum Abraham, deuenit in cælum: mortuus autem est & diues, sed in inferno sepultus est; tum oculis, ignitis, lacrymis fluentibus, intuitus cælum inelamauit: *Pater Abraham, Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat digitum in aqua, & immittat in os meum, quia crucior in hac flamma.* Responsum illi, non hoc esse futurum, clausam esse misericordiæ ianuam: *Magnum inquit, inter vos & nos chaos est.* Subdit vterius Epulo, & petit: vt inferno saltem liberatus ad tempus, moneat suos fratres, *ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* En damnatum volentem ne alij peccent, en appetentem ne fiant rei inferni.

O quanta crudelitas esset, iam damnatis, iam in perpetuo igne ardentibus, ignem, flammam, tormenta augere? auges peccando, reus inferni, reus damnationis factus.

Inquire ex anima tua, an in hac vita proficuâ detestatione, an non nisi in alia velis peccata detestari?

Inquire, an non detesteris iuuentutem tuam pessimè & peccaminosè traductam? propter quam remordet

te tua

40 te tua conscientia, testatur incertum salutis æternæ vi-
uere, & perpetuo pressum pudore, non sinit, fidenter
te oculos leuare in cælum.

PUNCTUM II. Detestandum peccatum propter
mala quæ infert.

Confidera, quòd quando existis in peccato mortali,
nihil participes ex bonis operibus, sacrificijs, labori-
bus Apostolicis, ieiunijs, orationibus, elemosynis &c.
quæ toto orbe fiunt: ex quibus participares, si in gra-
tia Dei viueres. Confidera rursus, quòd quando in pec-
cato existis, illæ auditiones sacrorum, ieiunia, preces,
quas Deo offers non sint meritoria vitæ æternæ: quia
principium merendi vitam æternam est gratia, quæ exi-
stens in peccato mortali omnino cares.

Confidera, quòd hoc ipso quia peccas mortaliter,
dæmon non tantum habet potestatem & dominium ac-
quisitum in animam tuam, sed & in Corpus tuum; vt
non sit necesse dæmoni, petere à Deo dispensationem,
vt per præstigias vel alio quouis modo noceat tibi: si-
cut est necesse, vt petat à Deo permissionem & dispen-
sationem, vt noceat Corporibus proborum virorum:
quemadmodum petijt dispensationem, ad nocen-
dum Iob.

Confidera, quòd peccando, vestem illam innocen-
tiæ, quam in baptismo, accepisti, perdas. Quid diceres,
si aliquis Tyrannus, præscinderet tibi nasum, effoderet
oculos, amputaret auriculas, monstrumq; te informe
vulneribus faceret? Totam autem faciem Dei, impres-
sam tibi per gratiam, tollit peccatum.

Confidera deniq; quando peccas, stat ex vna parte
dæmon cum vna delectatione, & peccato, post quod
scis certò, infernum & æternos ignes venire: stat ex al-
tera Deus cum suo cælo, stat cum sua gloria, cum sua
æternitate beata: & tu eijcis abs te Deum, & amplecti-

ris dæmonem: imò ei chyrographum porrigis, quo qui- 41 absolvis
etas Deum omni illius gratiâ, gloriâ, bonis, & te sub-
mittis vt sis seruus, igni in æternum damnandus, modò
tuâ delectatione potiaris. *vt tibi dandis*

O quot talia chyrographa in animam tuam dedisti!
Restituenturñe ista tibi aliquando? Itane (ô miserum
scribentem & legentem!) pro bonis reddidisti Deo
tuo mala? Quid tibi mali fecit Deus, & quare illum
dereliquisti? imò quid cogitauit mali tibi, & quare to-
ties Auctorem vitæ dereliquisti? Resolue te ad mille
internos, resolue ad mille Martyria, si fortè possis de-
precari vultum amantissimi tui Patris, Dei tui.

PUNCTUM III. Detestandum est peccatum, quia
illud iteratò crucifigit Christum.

Confidera S. Paulum expressè de peccantibus testari;
illos esse iterum crucifigentes Christum. Statue tibi
imaginatione totum Christum sanguine fluentem, gra-
uatam caput spinis, pedes & manus confixas, latus a-
pertum, totum Corpus flagellationibus concisum. & tu
peccando quid, quid tandem facis? iteratò illi coro-
nam imponis; iteratò latus aperis, & illud quasi cultro
adactò prolatas. Ah peccator! miserere Domini Iesu
tui; desiste tandem crucifixum crucifigere: miserere
Dei tui crucifixi, miserere mortui.

Confidera rursus, maius esse peccatum iteratò cru-
cifigere Christum. Nam primò erat crucifixus in car-
ne passibili existens, & deputatus ad mortem; si verò
tu iteratò illum crucifigas, crucifigis gloriosum, cru-
cifigis impassibilem.

Iudicet mi homo, & statue, malle potius mori, quàm
Dominum tuum peccando iteratò crucifigere. desle,
quòd crucifixeris. Indole super caput, quod mortali-
bus cogitationibus compunxisti. Indole supra manus,
quas tactu, Cruci adegisti. Indole supra pedes, quos
F ambu-

42 ambulatione, eò quò non licebat, confixisti. Indole supra cor, quod importunà creaturarū delectatione laniasti. Opta vt in satisfactionem pro capite læso, caput tuum truncetur; pro manibus læsis, manus præscindantur; pro pedibus confixis, pedes amputentur.

COLLOQUIUM, Instituturus, Finge Christum, hoc ipso momento, in multos peccatores, hoc est, similes tui, Crucifixores Christi, hoc inquam momento, dum moriuntur, avulsà manu à cruce, & apprehenso Cordis sui sanguine, projicere eundem, dicendo: Sanguis meus super vos in condemnationem in æternum. Eundem autem Christum conuersum ad te interrogare te. Quousq; mi homo Crucifiges me? quid enim mali feci? Responde digna Christo verba: & in fine exclama cum Psal. *Iuravi & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ; & cum Polono Sancto: Malo mori, quàm fadari.*

MEDITATIO

De peccatis Religiosi.

PRÆLUDIUM I. Constitue te in eo loco, in quo primum specialius, in Religione, saltem materialiter, grauiter peccasti.

PRÆLUDIUM II. Repete illud: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris Domine.*

PUNCTUM I. Vt plurimum Religionem ingredimur Iuvenes. Computa annos tui ingressus: esne tam Sanctus, non animà tantum, sed corpore, atq; fuisti in seculo? Sed ad ætatem & annos prouocabis? misera prouocatio! ad gratiam vocationis, tamq; multiplicata in te Dei dona, prouocare deberes: quæ omnia potentiora sunt, præ natura, præ annis; cur hæc in te victoriosa non fuerunt? Itaque Sanctitatis locus, factus est ti-

bi

43 bi peccandi, aut saltem deficiendi, locus! *In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* Time iudicia Dei super te. Deprecare Religionem, quam indignà vitâ tuâ commaculasti, recompensationem promitte.

Demus quòd in Religionem veneris maturus: compara peccata, quæ habuisti in seculo, cum peccatis in Religione factis: iudicet de illis conscientia tua. Demus fuisse grauiora in seculo: (si fuerunt.) sed peccabas non ita principijs Spiritualibus institutus, non ita ab occasionibus peccandi secretus. Tu in Religione fortè peccata quærebas, non illa te.

Ipsa gratia vocationis, augmentum charitatis, ipsa quotidiana vita religiosa, toties repetitæ Communiones, aliq; Sacra ab Ecclesia & Religione præsidia, tutari te poterant: quare hac Sacrà defensione non es usus? In quo potes queri de Deo, vel Religione, quòd tibi defuerint? & tamen tu, Deo, & Religioni, defuisti!

Reuoca tibi in memoriam primos tuos seruos, quibus, quot, & quanta, te ipso conscio superasti? cur tamen & toties superatus es? Religionem in conspectu Dei, tali vita diffamasti. Religionis Patriarcham contristasti; Sanctos in cælo & in terra viuentes, fratres tuos, indignitatibus tuis pudefecisti. Sicne viuere debet, vnus ex fratribus, plusquam germanis, Sanctorum tuæ Religionis, & aliorum, quos cælum nouit? Excita in te, quàm maximum desiderium restituendæ, si restitui posset, saltem recompensandæ, innocentis. Ora pro omnibus, qui illam habent, vt illam seruent.

PUNCTUM II. Considera alia peccata, idq; percurrendo actiones ordinarias Religionis tuæ. Quot, non dico Deus, qui districtius iudicat, sed tua apprehensio computat Communiones, Confessiones, dignas religioso Viro, dignas auxilijs quæ tibi Deus obtulit? Quot fecisti Orationes mentales, quarum te coram Deo vt vt

F 2

non

44 non pudeat? Fortè tibi meditatio, hora cogitationum naturæ, non gratiæ. Quot examina fecisti, toto impleto tempore, ad amissim seruatim punctis &c?

Fortè etiam nullus examinis particularis vsus? quot fecisti flagellationes tui, dignas hoc Nomine? quot sur-rectiones ad primum ictum campanæ? Ipsa comestio tua, quæ differt à secularium comestionibus, solo dempto silentio, & penuriâ in rebus victus? Perpende & excute totam, paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, obferuantiam, quæ grauius adstringit, vt omittamus leuiora. Excita in te perfectionis studium, propone meliorem & exactiorem tuorum operum curam, exclama: *Ego dixi: Nunc cæpi.*


PUNCTUM III. Speciale hominum Religiosorum peccatum est, lingua & calamus. Calami peccata, finistræ informationes, calumniosæ delationes, incusationes contra conscientiam, solo vindictæ ductu, factæ. Et tamen hæc interdum etiam sanctitatis titulis palliamus! Misera sanctitas, detractrix, & querulosa! si in hoc nunquam incidisti, præuide, vt te præmunias, ne incidas. Roga Deum vt taliter deficientibus, det meliorem & magis charitati deditam mentem. Compatere omnibus ex tali afflictis occasione, supplicaq; diuinæ bonitati, vt illis præsidio & solatio sit; & scias, non tranfacturum te vitam religiosam, quin tibi plura ex hoc genere perpetienda sint. Resolue te ad omnia, vni, futuras afflictiones tuas, cum depressionibus Christi.

Quod attinet ad linguam. Quoties talenta fratrum tuorum taxasti, & sub pallio: *Verum est?* quasi omnia, hoc ipso quia vera sunt, dicenda sint? Quoties Fratres tuos, dicacitate tuâ, ad amaritudinem deduxisti? ipsumq; illis in Religione conuictum, maledicentiâ tuâ, difficilem fecisti? Nôiti historiam circûducti fratris, per omnia loca, in quibus sugillabat reliquos, tra-

hen-

hente illum diabolo, & tenente linguam eius exertam, candentibus forcipibus. Deus nouit, an non tu ita trahi dignus? quæ talenta, in quocunq; intacta reliquisti? quos terminos, iratus, non seculares adhibuisti? & tamen lingua tua, est dominicum & festiuum. Eucharistiæ vehiculum. Inceperis vel nunc linguam tuam corrigere. S. Antonij Patauini lingua, Symbolum eius concionaturæ, hucusq; manet integra: digna hæc lingua tua sic seruari? an potius vt in te, viuo adhuc, putrescat, vermibus corrodat? Optas fieri Concionator, & si talenta desunt, saltem fungi Confessarij officio: vtriusq; primum ad conuersionem peccatoris instrumentum, ardens locutio. Dignus hæc es hoc Dei dono, qui linguam tuam ita grassaris, cum detrimento vitæ pacatæ in alijs? Vis in Conuersatione tua, Sancta suadere: sed quomodo erit lingua tua instrumentum Spiritus Sancti? quæ toties fuit instrumentum passionum tuarum: dicam plus, instrumentum diaboli, virtutem in alio concutientis, per linguam perstrictiuam, quam Dæmon non potuit laceffere, petitis aliunde tentationibus.

COLLOQUIUM ad linguam Iesu inelamantem: *Sectio.* A quo petes vt det tibi sitim, non nisi sancta, & charitatem spirantia, loquendi, sitim item medendi ijs, quos vulnerasti. Petes à lingua illa felle & aceto mortificata, à lingua illa, quæ fortassis defluentia sputa ludæica contingere debuit, saltem ea remouendo, ne ori sacro influerent, à lingua illa saccarum verborum spirante, vt tibi conferat gratiam, suauis & nunquam amaræ locutionis.





MEDITATIO

De Morte.

PRÆLUDIUM I. Imaginare te in lecto esse depositum, derelictum à Medicis, destitutum viribus, iam iam morti proximum.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, ut ex meditatione mortis, ad eam accendaris vitam, in quali te moriturum reperiri velles.

PUNCTUM I. Omnis homo mori debet: & parentes mei, & amici mei, & omnes quos noui, mori debent, & ego ipse, sine vlllo dubio, statutâ a Deo horâ, tempore, momento, moriar.

Confidera, quid sit hoc mori? Mori, est seperari animam à corpore: ita ut ex viuentē fiat cadauer; quæ separatio est tam grauis, ac si pondus totius huius mundi, vni illi qui moritur, incumberet. Mori est, vbi primum frigescere inceperint partes extremæ, vbi nasus aduncus factus fuerit, vbi obstupuerint oculi, vbi properatâ respiratione intumuerit pectus, & elanguis factus fuerit homo, tandem fieri totius vitæ defectionem. Flebunt te Fratres, amici, noti, & cum per aliquot horas in tumba te absconditum domi habuerint, eijcient te foras, & lapide obturabunt; posteaq; vix, ac ne vix quidem, tui memoriam facient. O quam fallax es munde, qui ita tuorum obliuisceris! Quid si adhuc Deus destituerit? o quanta fuerit infelicitas!

Confidera deinde, quod Corpus tuum in tumba, cui delicate seruiuisti, quo abutebaris ad offensam Dei, incipiet putrescere, fætere. Oculis, quibus vanè diuagatus es, nascentur vermes; ore, quo hæc & illa locutus es, flu-

es, fluet sanies; ventre, cui indulgisti, examen ranarum & serpentum voluetur. Sed hæc omnia minora sunt. Cogita, si defacto, anima tua à corpore separata foret, quid cum illa fieret? Dignâne esset ut ab Angelo deduceretur, in cuius conspectu irreuerenter peccasti? dignâne esset, cui Virgo Mater obuiaret, cuius tu filium peccando crucifixisti iteratò, & iteratò? dignâne esset, quam Dominus Iesus exciperet amplexabundus, cuius tu sanguinem delictis tuis proculcâsti?

Excita in te desiderium, aliter in posterum viuendi. Elice actum derisionis totius pompæ humanæ, quæ tandem vermibus & cinere terminatur. Postula à Deo, ut in omni occasione peccandi, & in omni totius vitæ tempore, redeat tibi memoria mortis.

PUNCTUM II. Reuoca tibi: Omnibus hominibus statutum esse, semel mori, horam autem mortis esse incertissimam.

Confidera, hoc ipso die, hæc ipsa horâ, hoc ipso momento, quot homines in Gallia, Hispania, Italia, Germania, Polonia, &c. imò toto orbe moriantur? hic naufragio, ille incendio perit: hic veneno, hic gladio, hic tormento hic bello, hic furcâ, hic alijs & alijs mortis generibus. Tu ipse qui hoc cogitas non scis an reliquum quod superest cogitare debeas? fortè tibi non plus, quàm vnus quadrans vitæ, superest? esne, esne, esne, post quadrantem paratus mori? Desfle tuam stultitiam, quòd ita viuas ac si nunquam esses moriturus. Desfle tuam stultitiam, quòd viuas, & imparatus ad moriendum viuas.

Confidera, si tibi vir aliquis Sanctus diceret: Mi homo, post 15 dies morieris; quàm tu emèdares vitam tuam? quàm mutares statum animæ tuæ? Non vir sanctus, sed Sanctus Sanctorum per scripturam Sacram tibi di-

48 bi dicit: statutum esse tibi mori, & quidem non certifi-
cat te etiam de quindecim diebus. Cur ergo emendare
te differs? & si putas te necdum moriturum, tum ma-
ximè scito te moriturum. nam Christus ait: *Quà horâ non
putatis filius hominis veniet.*

Alloquere animam tuam, vt se ad exitum paret. Al-
loquere Corpus, vt propter amorem Dei quàm pluri-
ma faciat, & patiat, fortè iam breui destituendum a-
nimâ. Alloquere omnes illas nugas quæ te à Deo re-
trahunt, & dic: prope est iam Dominus, abscedite ini-
mici eius.

PUNCTUM III. Reuoca tibi in memoriâ quæ ti-
bi graua erunt in morte. Erit graue, quando intuebe-
ris animam tuam spoliatam veste innocentiz, aut sal-
tem valde laceratam. hanc videbis vestem, quæ vestis
totâ iam æternitate reparanda non est: Nam innocen-
tiz vestis semel perdita, nunquam acquiritur. Erit
graue quando redibunt tibi in memoriâ omnia pec-
cata tua, quorum fæditatem, numerum, aggravatio-
nem, tum primùm senties, multumq; ad desperandum
vrgeris. Erit graue incertitudo, an sufficienter do-
lueris de peccatis, an rectè sis confessus. Et si habes ha-
bitum alicuius specialis peccati: illo ipso momento se-
parationis animæ à corpore, illo ipso vltimo instanti
vitæ, recurret tibi cogitatio, velle si ad hoc redire
peccatum? cuius si habitum non eiecisti facile inclina-
beris ad consentiendum, & dicendum; Redirem; tum-
que præciso vitæ tuæ filo, æternam tuam damnationem,
æternum inchoares væ.

Exclama cum affectu. *Dirumpe Domine vincula mea.*
Anima te ipsum serio ad hunc habitum contrarijs acti-
bus eijciendum, destruendum. Agnosce Dei bonita-
tem, qui istis omnibus temporibus quibus vidit te pec-
cantem, & ad consentiendum malo, etiam in articulo
mortis,

mortis, promptum, non te permisit mori; sed exspe- 49
ctat te, vt te meliùs ad mortem compares.

Considera rursus, graue tibi in morte futurum, quòd
inpirationibus Diuinis non obedieris, & ita minatur
in scriptura Deus: *Vocavi & renuistis, despexistis consilium
meum: idè ego in interitu vestro ridebo, & subsannabo vobis.*
Apprehende itaq; has inspirationes Dei, quas tibi Deus
non daret, nisi tibi bonam mortem optaret. Quam pu-
tas esses felix, si in morte ita diceres Deo: Peccaui, sed
etiam Domine pœnitui: Ecce propter te reliqui omnia
& secutus sum te, re non veste solâ: Euangelium tuum
pauperem me fecit: En ego crucifixus sum mundo &
mihi mundus. Animam meam Domine perdidisti pec-
cando, restitui amando; & ecce pro vna anima mea,
curavi vt alias tibi lucrifacerem animas. Quod iussi-
sti Domine feci, redde tu quod promissisti: Cuius est
verbum in Euang: *Vos qui reliquistis omnia & secuti estis
me, centuplum accipietis & vitam æternam possidebitis.*

COLLOQUIUM, cum Christo agonizante. Obi animo
vulnera illius, & dic: Iesu agonizans, in mea agonia,
miserere mei.

MEDITATIO

De Inferno.

PRÆLUDIUM I. Imaginare te stare ante Infer-
num, locum scilicet flammaram, pœnarum, æterni væ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam cognoscen-
di pœnas Inferni, & ex cognitione hac, emendandi
vitam.

PUNCTUM I. Cogita quid sit esse in inferno? Esse
in inferno, nihil aliud est, quàm esse in igne æternum
duraturo, cum priuatione æterna visionis Dei. Imagi-
nare

30 nare ergò, quòd videas ignèa illa damnatorum corpò-
ra, lacrymas quas fundunt ignes esse: hiant aperto ore,
& flammam hiant totis; capilli ardent nec comburuntur.
Vide hìc specialia ebriosorù, carnalium, esse tormenta.

Excita actum iusti timoris, ne ventas in has pœnas.
Alloquere oculos tuos, quibus ad peccandum vsus es:
quòd ita, nisi pœnitueris, flere tecum debeant. Allo-
quere & reliqua corporis tui membra: quòd ita, & ita,
cruciari debeant.

Imaginare rursus, quòd audias maledictiones da-
mnatorum, maledicentium diem in qua nati sunt, ma-
ledicentium tempora in quibus peccarunt, loca, soci-
os, occasiones, quæ eis, delinquendi, inuitamentum
fuerunt. Imaginare horrendum illum totius inferni
fremitem, ululatum. Imaginare deniq; quòd damnati
illi, agnoscentes te similium scelerum reum, imò aliqui
agnoscentes te maiorum scelerum reum, ostendant tibi
quid & quid passurus sis: & audi illos, quòd sicut ille
Epulo voluit adhortari fratres suos, ita illi te adhorten-
tur, ne venias in hunc locum, tormentorum. Et ex hac
imaginatione ad pios affectus accendere.

Imaginare quod sentias fœtorem illum ex ambustis
cædaveribus condemnatis, qui maior est, quàm sit fœ-
tor canum putrescentium, quàm sit fœtor omnium clo-
acarum, sentinarum, sepulchrorum. Est tantus fœtor,
qui ad te hìc & nunc occidendum, imò ad occidendos
ipso condempnatos sufficiens esset, nisi eos Diuina iusti-
tia, ad vltiores, hoc est æternas, seruaret pœnas. His
omnibus attentis, vide quòd veniant deliciae mundi?

Interroga condempnatos: vbi deliciae vestrae maledi-
cæ? respondebunt tibi, transferunt omnia, & nos in-
ferno addixerunt. Vbi vestri famuli? vbi honores? v-
bi coniugia? vbi amatus pœ Deo mundus? responde-
bunt, transferunt omnia, & nos inferno addixerunt.

Inter-

Interroga Clementiam Diuinam, quid à te tandem 51
postulet, quæ te hucusq; seruauit, nec condemnari per-
misit? quid illi negabis, quæ tantum tibi boni contu-
lit? nempe spatium pœnitentiæ. quid miser Deo ne-
gabis? qui tibi porrigit occasionem salutis.

PUNCTUM II. Apprehende firmiter id, quod dicit
scriptura. *In inferno nulla est, nulla est, redemptio.*

Cogita ergo, quid hoc est, esse in æternum, in æter-
num, in inferno? Cogita creasse Deum ali-
um mundum, & obstruxisse omnes omnium fluuiorum
in mare influxus, posuisseq; vnum puerum, qui intra
millionem annorum, vnum cochlear acciperet ex isto
mari, & transfunderet in alium orbem; tunc veniretur
tandem ad hoc, vt totum hoc mare exhauriretur; nec-
dum tamen etiam medium æternitatis transigeretur,
Cogita totam hanc mundi Sphæram, esse plenam arenam,
creariq; à Deo alium mundum, in quem post mille mil-
liones annorum, auicula, vnam arenulam trasferret;
tunc veniretur tandem ad hoc, vt totus hic arenarum
orbis in alium transmigraret, necdum tamen æternitas
vel minimum minueretur. Breuiter, quamdiu Deus e-
rit Deus, tamdiu durabit hæc pœnarum æternitas.

Exclama ergo cum scriptura. *Quis poterit habitare
cum ardoribus sempiternis!* Interroga Dominum IESUM,
an non sanguine suo ardorem hunc extinguet? qui tibi
respondet per scripturam: *In inferno nulla est redemptio.*
Interroga an non ardorem hunc Diuino suo cruore est
aliquando mitigaturus? qui idem respondebit tibi: *In
inferno nulla est redemptio.* Infige ergò diligenter memo-
riae tuæ, quid sit æternitas, infelix æternitas, æterna æ-
ternitas? Resolue te ad maximam pœnitentiam, ne ve-
nias in hunc locum tormentorum.

PUNCTUM III. Cogita, quòd hoc ipso tempore,
quo tu id cogitas, descendant tot hominum millia in in-
fernum,

G 2

52 fernum, secundum illam reuelationem, quod vno momento quinquaginta millia hominum mortua sunt, ex quibus vnus iuit ad cælum recta, duo ad purgatorium, reliqui omnes ad infernum.

Apprehende ergo, quanta tibi exhibeatur gratia, dum tibi spatium poenitendi conceditur. Rumina illam Ecclesie in die Cinerum vocem. *Emendemus in melius quæ ignoranter peccauimus, ne subito præoccupati die mortis, queramus spatium poenitentiae, & inuenire non possimus.*

Vide illas flammæ, illa tormenta, tuis sceleribus debita: ex altera parte, vide IESUM Crucifixum, per Sanctas inspirationes te ad suum amplexum vocantem. Mauisne infernum, quàm Iesu amplexum? Rue ergo ad pedes illius, & inclama cum Psalte: *Iuravi & statui custodire iudicia iustitie tue.* Conuerte te animo ad omnes totius mundi peccatores, & ex apprehensa inferni tyrannide & tormentis, exhortare illos ad bonam vitam.

COLLOQUIUM, cum Christo Crucifixo. Sub cuius pedibus te statue, & fortissimè amplectere Crucem IESU, & quod sub illa viuere, sub illa mori velis, iteratò protestare. Imaginare quod te caro, quod mundus, diabolus, à Cruce retrahat: tu autem respondebis: Non, non, non. *Mihi Deo adherere bonum est.*



MEDI-



53

MEDITATIO

De Morte & Iudicio Religiosi.

PRÆLUDIUM I. Constitue te in eo loco, cubiculo, quod à Deo ab æterno ordinatum est, vt in illo moriaris, iudicarisq; iudicio particulari.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo, vt te ad mortem dignam Religioso, & absolutorium DEI iudicium, præpares,

PUNCTUM I. Fortè etiam tuâ memoriâ, ij qui in Religione tua mortui sunt, licet sint mortui, cum bona, vt sperandum est, præparatione substanciali ad mortem, stante in vita religiosè traducta, tamen decesserunt sine vlla exacta præparatione immediata, & proxima. Pete à Deo gratiam, vtriusq; huius præparationis. Quantæ, putas, ædificationis fuit, mors Sancti Hyacinthi, in illis verbis: *In manus tuas, emorientis? & Sancti Patriarchæ Dominici, ad illa Verba exspirantis: Occurrite Angeli: S. Francisci in illo versu Psalmi: Me expectant iusti, animam reddentis? Quàm insignis fuit exempli mors Beati Aloysij, ad nuncium de morte instante acceptum, dicentis: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Nolter Berchmans, Rosario, Regulis, Crucifixo, acceptis, dixit: Hæc tria mihi charissima, cum his libenter morior. Quid tu stringeres moriturus, ad exprimendam vitam, qualem vixisti? qui nec IESUM dilexisti, nec MARIÆ cordialiter seruiuisti.

Circa mortem tuam fac aliqua proposita. Vt præuideas actus, quos velles elicitos in morte, illisq; in Catalogum redactis, saltem semel in Mense te exerceas vt si fortè circa agonem illos elicere non possis, anticipatò,

G 3

Reli-

54 religiosè moriaris. Vt in singulis *Aue*, te specialiter reflectas ad ly: *In hora mortis*. Vt nullum diem præcipue Sabbathi prætermittas, quin supplices Beatissimæ, pro tua morte. Vt eligas tibi speciales Patronos agonizæ. Vt ores Sanctos, quorum aniuersario mortis die, tu quoque postea vitâ excedes. Vt sollicitè cures, & ipse aduertere, & ab alijs discere, an Fratres tui ægroti periculosè ægrotent, insinuesq; hoc illis suauiter; melius est enim monere mortis, etiam postea victurum, quàm non præmonere, moriturum: & Deus dabit tibi gratiam, vt & tu, tuo tempore, monearis, idq; tempestiuè. Vt nullus sit dies, nullum Sacrum, nullum Memento, quo agonisantium non memineris; quia & ipsi, à te adiuti, impetrabunt tibi, felicem agonem. Vt ores subinde Deum, pro eò qui te dispositurus est (si eum tibi Deus prouidit) ad mortem, vt te quàm optimè disponat: Item pro prædestinatis simul tecum agonisaturis. Statue tibi tempus, quo te, semel in mense, ita quoad animam, negotia &c. componas, quasi iam esses moriturus.

Conuerte te ad IESUM agonisantem, & inclama: *IESU agonisans miserere mei*. Pete vt mortem in Religione oppetas, munitus omnibus Sacramentis, & in circumstantijs, quas tibi expedire iudicat diuina Bonitas. Et si, in perditionem animæ tuæ, videt Deus, te Materialiter non nisi in Religione perseueraturum, nisi te violentà, subitanè, morte auferat, pete vt nunc, vt saltem proximè, in gratia sua, vitam tibi Deus auferat. Sicut non meliores erant Iudæi illi, supra quos cecidit turris in Siloe; sic nec tu melior illis, qui cum materiali solùm perseuerantia in Religione mortui. Magnum fuerit, si præ illis emendicaueris, mortem Sanctam, à benefaciente immeritis, Deo.

Gratiam perseuerandi, nemo de condigno à Deo mere-

55 meretur, prædestinati saltem aliqui, de congruo. Quod tuum meritum, te ipso conscio, vt moriaris sanctè, & vt decet verum & germanum Religiosum? vitæ Sanctæ? meritumne apud omnes? eosne quasi superiores & Dominos honorasti? vt ideo in recompensam tuæ reuerentiæ in illos, detur tibi consortium eorundem? Miser & miserabilis, non habes Religiosi meritum, quomodo habebis præmium, mortis, Religioso vèro dignæ! Sancti meæ Religionis mortui, orate pro me morientem IESUM, vt mihi donet similitudinem mortis vestræ.

Imaginare S. Michaelem Archangelum, constitutum super omnes animas suscipiendas, vnà cum Angelo (indubiè præalto) Religioni tuæ Præfecto, mensurare bona opera tua, quibus mereri deberes mortem Sanctam, & peccata quibus id demereri; quid horum prægruat? Tu ipse contra te testis, contra te, Iudex es! Statue te in loco, in quo in monte Caluariz, exspirauit Iesus, statue simul & replica, in loco, in quo exspirauit Beatissima, & per has duas agonias, pete agoniam sanctam, in tua Religione.

PUNCTUM II. Quod attinet ad Iudicium Religiosi, illud necessariò antecedere debent graues (nisi Deus ab alto inhibeat, & fortè, ordinariè non inhibet) tentationes. Institui mur ordinariè benè literis, aderit disputator Diabolus. Melius habemus ordinariè perspecta principia vitæ Spirituales, obligationumque nostrarum, quarum pondus, tum primùm acutiùs peruidebimus; inde desperationis exordia. Tot medijs, tam sublimibus, sanctitatis abundamus, quæ à nobis sui vsum, & rationem exigent; quid nostræ opponunt tepiditates? Accedent scrupuli ex ordinarijs nostris occupationibus, qualiter Sacramentum pœnitentiæ tot millibus hominum ministrasti? Applicatus es, vel applicaberis sacris docendis, quâ Concionando, quâ prælegendo,

16 gendo, prouiderat Deus, & hunc, & illum, & illum, à te proximè conuertendum fuisse, si tuis vanitatibus, tepiditatibus, secularismis, impedimenta non posuisses: quid de illis Deo Iudici respondebis? Interim etiam Religiosi, Magnatum moderamur conscientias, interdum consilia spiritualia damus; scimusne? scimus, sed non cogitamus, non penetramus, quia pro his omnibus, adducet nos Deus in iudicium! ideoq; ordinariè nostrum, qui Religiosi sumus, est districtius Iudicium, *Non intres in Iudicium cum seruo tuo Domine.* Iesu damnate ab Anna, condemnate à Caïpha, ad iudicate petitioni Iudæorum à Pilato, iudicando mihi, miserere. Iustæ, non iustæ, sed iustissimæ, Iudex ultionis, pro nostris commissis, & omissis, donum fac remissionis: quam donas, nihil omnino, & præcipuè mihi, nihil inquam adstrictus, obligatus. Donum fac remissionis, ante diem, fortè noctem, fortè crepusculum, fortè diluculum, rationis.

PUNCTUM III. Quæ erunt tibi media vt tibi Iudicium Dei graue non sit? Primum sit, petium ex ipso *Pater noster*: Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus. Quantà mensurà vis tibi dimittere Dominum Deum Iudicem, tantà dimitte debitoribus tuis. Et quia necdum ad sanguinem restitisti, quanta dimitteres, si dimittenda haberes, tuis debitoribus, idq; quoad taxatam famam, honorem ademptum, vitam præcerptam? Secundum, petium ex illo Principio: *Nolite iudicare & non iudicabimini.* vbi fac propositum, neminem in vlla re, damnandi, cum salua conscientia, poteris non damnare. Non damna in Iudicijs, non damna in fama, non in eo, quòd tibi non sit affectus, non damna in eo, quòd contra te agat & machinetur; & in die retributionis, reddet tibi Dominus. Tertium, ne perseueres in Religione solà perseuerantià materiali & corpo-

corporali; sed formali, quoad mores, affectum in Religionem, &c. piè enim speramus, centuplum nos recepturos. Quid si adhuc gaudeat tua Religio specialiter reuelato priuilegio? Deniq; consule ipse conscientiam tuam, quid te ad fauorabilem Iudicis sententiam promerendam iuuare possit.

COLLOQUIUM, Cum singulis Trinitatis personis, vulneribus Domini, Beatissimæ pedibus, manibus, corde, deniq; cum proprio Angelo Custode, inquirendo: *Quot sunt dies serui tui?* Pete ab Angelo Custode, sed ad salutem, præmonitionem, de iam iam effluente Clepsidra vitæ tuæ, & ne sis, vnus ex illis, qui præoccupati subito die mortis, quærunt spatium poenitentiae, & non inueniunt.

MEDITATIO

De Purgatorio Religiosi.

PRÆLUDIUM I. Constitue te in eo loco Purgatorij, in quo videte Deus ponendum.

PRÆLUDIUM II. Pete correctionem vitæ, etiam titulo Purgatorij euadendi.

PUNCTUM I. Considera vitam tuam nonnisi religiosam, & indaga, quibus etiam titulis mereris purgatorium? Percurras diem totum, omnesq; eius occupationes, an non omnes sunt seminarium purgatorij? Percurre sensus, quæ non flammæ illis debentur? Desse hæc omnia, actu primùm attritionis, postea contritionis. Accipe occupationes, & sensus tuos, & elue illos Sanguine Iesu, contra quem nec purgatorij, nec totius inferni ignis, agere potest.

PUNCTUM II. Reuoca tibi in memoriam varias Historias, de Purgatorio hominum Religiosorum. Nota est

58 ta est illa Historia, de Sanctimoniali, quæ aliquantulum substitit, secularis cantus, non textum, sed notam (vt vocant) audiuit, diu propterea igne purgatorio cruciata. Tuæ aures Sanctiæ semper audierunt?

Nouimus de nostro quodam, ob hoc illum in purgatorio durius luisse, quod dum viueret, cæteroque singulariter religiosè, non elicuerit frequenter desiderium Deum videndi. Quale hastenus in te fuit desiderium videndi Dei? & exinde tuum formale purgatorij mensura, stans in doloroso, non videre Deum. Sicut enim quâ parte corporis abusi sunt damnati, eâ maxime patientur; ita qui peccauit non desiderando videre Deum, luet acerbius pœnam damni, non videndi Dei.

Mr. Mchowski, pro vna cogitatione egressus ex Societate, ob infirmitatem, cum proposito redeundi vbi conualesceret, tredecim annis in purgatorio fuit. Quid tuæ tibi facient cogitationes?

Experimur in domibus Religiosis, singulis ferme annis, esse aliquem qui terrore ipso pluribus iniecto, significet, se mendicare suffragia. Experimur item dictamina repetita, etiam in particulari, pro hoc mortuo orandi; quæ dum nobis incogitantibus accidunt, licet naturaliter accidere possint ex coniunctione inter se specierum, non raro tamen sunt cogitationes ab ipso Deo illuminante, iniectæ, quæ sunt in nobis, sine nobis; quas cur Deus iniiceret, pro hoc mortuo, si hic in particulari, non indigeret? O quot tu annis in purgatorio eris! diuina tibi.

Celebre nostri cuiusdam purgatorium, discurrentis per orbem, & assistentis morientibus, deterrentis à peccando, idq; ideo quia id officium segniter exercebat. Quid te in hoc genere expectat? Sufficeret, si tot tibi siccæ Missæ dicendæ in purgatorio, & officia, & coronæ iniungantur, quot talia frigidè peregisti.

O si

59 O si te Deus duceret in locum purgatorij tui! o si tibi ostenderet destinatas pœnas, & ipsum productum, in illis ignibus exigendum, tempus! Prouocas ad indulgentias plenarias? nonne & illi, qui ante te mortui sunt, easdem vsurpauere, quos tamen purgatorij flamma excruciat? Bonæ indulgentiæ: sed impletio conditionum exacta, rara; rara omnium venialium quoad culpam abolitio. Possunt enim manere venialia peccata, cum infusa gratia; potest fieri Actus contritionis supernaturalis, qui semper delet mortalia, non semper tamen delet omnia venialia; quid si ad obtinendam indulgentiam plenariam, in ipsa vltimæ conditionis impletione venialiter labaris? certè & consequeris tunc vt supponis indulgentiam, & non consequeris, quia impossibile est habere Indulgentiam plenariam, eum qui est in statu vel minimi venialis peccati. quomodo enim plenè tibi indulgebatur si in culpa vel vna es? est autem in culpa veniali, qui implet vltimam conditionem, cum veniali negligentia.

PUNCTUM III. De modis euadendi purgatorij. Vita accuratior, amor inimicorum, mortificationum studium, eleemosynæ spirituales, quæ corporalibus maiores, hac intentione impensæ, pro ipsis animabus purgatorij frequens oratio, Indulgentiarum repetitus, sed quoad diligentiam, in conditionibus scrupulosus vsus, ipsa resolutio, quod mille purgatorij dignus sis, velleq; in malis tuis triumphare, vt ita celsissimo attributo Dei satisfiat, voluntati eius & Iustitiæ, hæc te iuvabunt. Iuvabit insuper, vt si non Martyr, saltem quasi Martyr moriaris, quod fit duobus modis. Non te excuses vnquam à docendo. Sancto enim Thomæ actus docendi proximos ex charitate, videtur ex obiecto, maior esse Martyrio. Deinde quære mori, quantum per obedientiam licebit, in seruitio peste infectorum,

H 2

maio-

60 maiorem enim nemo charitatem habet, quam ut ponat quis animam suam, pro amicis suis. Adde utriq; huic cogitationi. Viue ita, ac si scires te fore Martyrem, te proximè pro Christo moriturum; versareq; ita in Patria, ac si in Indijs versareris. Fac pro his omnibus propositum.

COLLOQUIUM, Pete ab ipsis animabus purgatorij, ut tibi pro se deuotionem impetrent. Supplica Angelo Custodi, ut te tunc vel maximè non derelinquat. & obeundo quinque plagas Christi, dic: *Requiem aeternam, eamq; rectà ab exitu ex corpore, propter Sanguinem Iesu Christi, dona mihi Domine, & lux perpetua, non dilata, luceat mihi.*



MEDI-

MEDITATIO
De modis facilitandi sibi iudicium
extremum.

PRÆLUDIUM I. Statue te, non in lecto, quia fortè in illo non morieris, non in sella, quia fortè non sedès morieris, morieris tamen indubiè in aliquo loco, hinc in illo loco, qui Deo notus est, statue te mente.

PRÆLUDIUM II. Pete gratiam, ut cognoscas & arripias modos facilitandi tibi iudicium extremum.

PUNCTUM I. Primus modus facilitandi sibi iudicia Dei, est purificatio conscientia per Confessionem tempestiuè factam, confidentem, exactam, apprimè dolorosam, & quidem dolore maximè tuto & laudabili, nempe dolore ob amatum Deum, infinitè bonum. Sollicitudo ipsa emundandæ, tum primùm cum mors instat, conscientia, desperationem potius augebit, quam promouebit dolorem, humanitus loquendo. Pertinebit ad diuinam prouidentiam vberius illuminare: quid sit Deum offendisse? Non deerit cum suis aggrauationibus |diabolus. Conscientia etiam remorsus intèdetur. Hinc rarè illæ confessiones, quæ primùm in morte sincerè & expressiuè fiunt, profunt ad salutem. A longè ergo præuidendo iudicia Dei, faciendà exacta, & dolorosa confessio. Deinde non alio citius peccato irretit animas dæmon, quàm eo, cuius habitum contractum habet peccator. Si enim nunc, cum parum te tentat, vincit ordinariè: quid tecum faciet, omnes sibi possibiles vires intendendo? Nempè cum te, tam diu, in sua potestate habuerit, dolendum illi esset, si te in sine amitteret.

62 teret. Hinc putant docti Patres spirituales, consensu communi, id, quod ordinariè in agone reddit obnoxios Catholicos damnationi æternæ, habitus peccandi esse. Placetne tibi Deus tuus? placetne tibi Dominus IESUS pro te Crucifixus? mensura istius placentiæ est, si te ab habituali peccato tuo correxeris, curabisq; ut potius tu peccata deseras, quàm illa te. Time iudicia Dei! iam imminet! etne tibi conscius, quòd nullus in te iam Dei gratiã sit habitus peccandi? propone frequentiore Eucharistiæ vsum, quia ille vel maximè, habitualia peccata extirpat.

Disce paulatim mori, etiam negotia tua, lites, debita maturè componendo: quia proximè moriturus, morti & iudicio diuino te comparare debebis, non distrahi negotijs, aut informationibus dandis, aut testamento condendo. Habesne hæc omnia composita? cur non? fac propositum hæc omnia absoluendi.

PUNCTUM II. Imaginare (si sis secularis) eum, quem tibi fortè prouidit Deus, ut te ad mortem disponat, iam incipere hanc dispositionem, & alloqui te verbis Danielis: *Consilium meum placeat tibi: & fortè iam est tempus ut placeat, frequenter enim factò ostendisti, quòd non placuerit; placeat vel nunc consilium meum: Peccata tua eleemosynis redime: quid dicam de alienis, eorum, quos ad peccatum induxisti? Inculco iterum, timeo ne fortè non aduerteris quid dixerim? inculco inquam & repeto: Et iniquitates tuas misericordijs pauperum. Non sufficit vna misericordia, facias id repetitò misericordijs pauperum. Danielis 4. Quid in hoc genere facies? Omnes autem, etiam Religiosi, perpendamus hoc quod S. PETRUS considerando seueritatem Iudicij diuini scripsit: *Si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?* Applica id tibi: Ego sum hic impius, ego sum hic peccator, vbi parebo? S. Hieronymus dicit quòd*

quòd semper tuba illa in auribus suis sonaret: *Surgite & mortui venite ad iudicium.* Sit ergo hic modus præparandi se se ad iudicium extremum, memoria eiusdem. Meministi ne tu iudiciorum Dei? fac propositum, quando specialiter illud, in memoriam tibi reuocabis.

Promittit Christus, (perpendant id Seculares) quòd ij, qui omnia propter illum dimiserint, sint sessuri cum eo, & iudicaturi duodecim tribus Israel, hoc est vniuersum mundum! Duo ex occasione hac facienda: Primo, affectu & propensione, si status ferret, omnia hæc dimittendo, abnegando; secundo, eorum qui iudicaturi sunt, concilia tibi affectum, in particulari eius Sancti Fundatoris, cuius filiorum operam in directione animæ tuæ vteris. Facisne id? quos modos habebis conciliandi huius affectus?

Perpendamus nos Religiosi: dimisimusne verè corde mundum? erimusne digni, ut sedeamus iudicaturi? an non indigemus ut sicut Seculares, conciliemus nobis Sanctos Fratres nostros, futuros nostros iudices?

Tenes cautionem Christi: *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Exerceasne te in hoc, ne quemquam damnes? ô quot iam damnasti! sed examina te: an non aliquem in particulari? propone in posterum correctionem.

PUNCTUM III. Visne tibi in iudicio diuino dimitti? dimitte debitoribus. En ipse Dominus IESUS, volens nobis exhibere exemplar, benè se se ad mortem disponendi, pro inimicis orauit; ut & tu non putes te rectè moriturum, nisi te ad mortem Sanctam, amore inimicorum præparaueris. Numera quos habes inimicos, dimittesne illis? & dimittet etiam tibi Deus. Sanctus Franciscus de Sales dicebat: si vnum inquit oculum haberem, & eum deberem amittere, casu, quo intuerer meum inimicum; amissum vellem oculum, & tamen illum intuitum vellem. Tuus oculus talisne? Statue

64 Statue ergo tibi omnes in particulari inimicos tuos, & omnibus illis in particulari dimitte. Vis plus agere? corde, pedes illorum osculare; vnias hunc actum tuum, cum actu Christi inclamantis: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Sed quid facies cum inimicis, quos necdum habes, sed habiturus es? Suggesto potius, quàm intimo hunc modum. Facias illos omnes Dominos tuæ famæ, honoris, vt quantum est à parte tua, cedas hoc iure, nec unquam ab illis retractationem, recompensationem vllam requiras. Sentisne affectum hunc in corde tuo? Pete vt sentias; vt ita dimittat tibi Dominus, non tantum præterita, non tantum præsentia, sed & futura debita: sicut tu etiam futuris debitoribus remittis.

COLLOQUIUM. Aduolue te pedibus Domini Iesu Crucifixi, & osculare illos: vt in die iudicij tui, præsentet Ss. Trinitati, non vulnera manuum suarum, hæc enim spectant ad alios Sanctos, non vulnus cordis sui, quod spectat ad eius dilectos, sed vulnera pedum suorum, qui peccatoribus post Magdalenam permissi, ne causâ cadas, in extremo iudicio. Aduoluere pedibus Beatissimæ, pete vt te pro seruo suo acceptet, nulla enim damnatio seruis MARIE; vtinam & tibi, nulla sit. Amen.



MEDI-



65

MEDITATIO

De modis satisfaciendi Deo pro peccatis.

PRÆLUDIUM I. Cogita, tradi tibi ab Angelo libellum, pulchrum sed paruum, & vix notatum, in quo tamen inscribi deberent bonæ actiones tuæ.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam, & noscendi, & arripiendi modos, quibus satisfacias pro peccatis, *librum illum Angeli satisfaciendum.*

PUNCTUM I. Primus modus satisfaciendi pro peccatis, est, dolor perfectus, qui aliàs vocatur Contritio, stans in hoc, ne quis doleat timore inferni, nec intuitu retributionis, quantumvis æternæ, sed præcise ob hoc motivum: quia Deus est summum & infinitum bonum. Actum hunc vt hîc & nunc facias, statue te mente in cœlo, quasi iam videres & amares beatificè Deum Ss. Trinitatem, quasi iam intuereris Dominum IESUM, nosceres facie ad faciem Beatissimam, & alios Sanctos, & exclama ante cœlum: Quòd nolis esse in cœlo. Stupeat ad hanc acclamationem cœlum, inquirat: quid tibi displiceat in Deo? quid in cœlo? & tu non respondebis sed irrugies: Nihil, nihil: sed Deo ipsi ostendere volo, & vobis, quòd doleam, & ex corde doleam, pro peccatis meis, & non ob spem præmij, etiam cœlestis. Statue te rursus in fundo ipsius inferni, & querelas depone contra iustitiam diuinam, quòd iste parvus sit pro te infernus, nec satis calidus ignis; petes ergo à Deo, vt millies, millies millies, infinities millies, manus pro te Deus constituat supplicium; vt ostendas, te dolere pro peccatis, non ob timorem inferni. Cur ergo dolebis

I

bis

66 bis anima mea? Doleo, & dolebo, quia Deus, quem offendi, infinitum bonum est. Et hinc immutare, transire, transessentia te in amorem Dei, super omnia.

Secundus satisfaciendi modus est. Recordare saltem cursim sceleratissimorum scelerum tuorum, & firmissimè statue, contrarias illis acquirere virtutes: hæc est enim vera pœnitentia, vitij virtutes opponere. Opponisne?

Bonum esset, si re ipsâ non possis, mente obire, omnia illa locorum spatia, in quibus, Dominum tuum offendisti, in illisq; dolere dignè tuis sceleribus, dignè summo bono, pro tuis peccatis.

Tertius modus pro Secularibus, est Eleemosyna. Quia teste ipso Deo: Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Et tua qualis ad eleemosynas propensio? Sed etiam si omne illud quod possides, omne illud quod corrogasti, expenderes, quid est hoc in comparatione multitudinis iniquitatis tuæ? Condienda ergo hæc quam das eleemosyna, alijs actibus, quos par est ut faciant etiam ij, qui re ipsâ eleemosynas dare non possunt, & tamen volunt eleemosynâ extinguere peccatum. Nempe quod si tui iuris esset totus mundus, illum, in satisfactionem peccatorum tuorum, Deo, & pauperibus, offerres. Excita in te affectum, quod omnes Ecclesias hæcenus ædificatas, & ad tempora Antichristi ædificandas, omnia Monasteria & Nosocomia exstructa & exstruenda, velles tuis impensis facta; & decora hanc ipsam tuam eleemosynam, & hos tuos affectus, eleemosynâ & affectu theandrico, quo corpus & animam suam, Deificata, ad subueniendum miseræ generis humani, obtulit Christus.

PUNCTUM II. Inter alios modos satisfaciendi Deo pro peccatis, est, pro vna sua anima, soluere Deo oblatione plurium animarum. Solues Deo animabus, dum exem-

67 exemplis ad vitam probam pertrahes, dum ad religionem, vel suasu, vel oblatione dotis, inuitabis; dum ex occasione peccadi, impensâ tuâ, vel cohortatione erues; dum inopi, sed ingenioso puero, sumptum prouidebis, ut studijs finitis religiosus vel Sacerdos fiat; quascunque enim animas ille lucraretur, particeps tu fores lucri. Deniq; sis specialiter affectus illis, quos conuersioni animarum magis collaborantes videris, ut dicere possis: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua, & animas ad te conuertentium.*

PUNCTUM III. Optimus modus satisfaciendi pro peccatis, Martyrium. *Maiorem enim Charitatem nemo habet, quam ut animam suam, ponat quis, pro amicis suis.* Quod ipsum martyrium, cum re ipsâ subire non possis, adhibendæ sunt imitationes Martyrij. Primò sis Martyrum mortificationum. Posses te torquere carnifex, torque te ipsum, & totum corpus tuum mortificatione & pœnalitatibus obi. Martyrisastiñe te hæcenus ita? dispone, à te, faciendas mortificationes. Secundum Martyrium est, à linguis, fugillationibus, censuris, dishonorationibus. Puta igitur, tuum omnem honorem & famam, este vnum puluisculum, quem tu nihil curas. Ire quoque ad bellum contra infideles, vel impensam pro illo facere, martyrij quoddam genus est. Qui in hoc bello occumbit, occumbere paratus est, in defensionem fidei, in satisfactionem pro peccatis, non tantum placet, sed perplacet Deo. Tertium Martyrium est, planè cordiale, intimum & non ad superficiem, desiderium, re ipsâ fundendi sanguinem pro Christo. Persentiscisne hoc in te desiderium? pete à Domino, ut multiplicet & exaggeret affectum hunc in corde tuo, ut tibi connaturalis fiat, ut non sit necesse, ad hunc affectum primùm inducere cor, vel persuasionibus vrgere, sed ut illud habeas,

68 ad hoc expeditum. Quid si suasu, quid si impensâ, prodesse ituro ad Martyrium? Saltem sis specialiter deuotus pro ijs, qui sunt, vel proximè erunt, in occasione patiendi martyrium.

COLLOQUIUM. Reuoca tibi ex vna parte peccata tua, supra numerum arenæ maris numerosiora, reuoca & impœnitentias tuas, pete vt Sanguis Domini, effluens è capite illius, eluat peccata cogitationum tuarum, vt sanguis effluens è manibus, eluat, scis quales, manus tuas, vt sanguis pedum Domini, eluat processus tuos, vt sanguis cordis IESU eluat affectiones tuas, vt sanguis toto corpore fusus, totum eluat corpus tuum, defectumq; pœnitentiæ tuæ suppleat.



MEDI-

MEDITATIO

Die, assumendæ vestis Religiosæ.

PRÆLUDIUM I. Statue te coram Eucharistia istius Ecclesiæ, ad quem, habitum religiosum fumes. innoua omnes adoraciones Eucharistiæ, quas secularis fecisti, & iam vltimò adora eandem, in hoc vestitu, cum deprecatione omnium irreuerentiarum, quas hæcenus commifisti; & adora eam in speciali, in quantum ad Iatus, vt ita dicam, huius factæ replicationis corporis Christi, sumpturus es, vestem religiosam.

PRÆLUDIUM II. Pete gratiam, deuotè, & cum affectibus mutatione hac statûs, dignis, assumendi vestem Religiosam.

PUNCTUM I. En iam eo loco stas, vt te resoluere debeas, aut ad regressum ad seculum, aut ad ingressum primum in Religionem. Quid facies? nonne exlambis cum Psalmista? *Beati qui habitant in domo tua Domine. habitare & ego volo in domo tua, licet indignus Domine. vel illud: Elegi abiectus esse in domo Dei, vltimus & minimus mox futurorum fratrum meorum: quàm habitare in tabernaculis peccatorum; in tabernaculis, ex quibus egressus sum.* S. Gallus quærens & inueniens locum, in quo incepisse debuerat suam pro Deo solitudinem, cecidit pronus, putauitq; indicium esse, loci sibi à prouidētia diuina electi, & exclamauit: *Hic habitabo, quoniam elegi eam.* Repete & tu: *Hic habitabo, quoniam elegi hanc Religionem,* imò DEUS me potius Dominus meus, ad illam selegit.

Moyse puniturus idololatriam Iudæorum, arripuit gladium, & inelamauit: *Si quis est Domini iungatur mihi.*

70 Accedunt Sancti Fundatores, ad animas sibi designatas, accedit & ad te Fundator Religionis tuæ, & alloquitur te his verbis Moyfi. Si quis est Domini iungatur mihi: vt cum illo in te primum, deinde in alijs, carnem mundum, diabolum expugnes. Exclama ergo: Iungor & ego tibi Pater mī, iungor & ego tibi. Valedic ergo Parentibus tuis, consanguineis, domunculæ: ita, vt nunquam illorum postmodum, nisi in oratione memineris; implens illud. *Obliviscere populum tuum, & domum Patris tui.* Valedic autem eā intentione, vt verius dicere Deo possis, cum S. Francisco Assisinate: *Pater noster.*

Valedic peccatis præteritæ vitæ tuæ, & inclinationibus tuis, cum Dauide inclamando: *Iuravi & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.*

Valedic sensualitati tuæ, ob amorem IESU felle & acetato potati. Valedic vestimento tuo seculari, ob amorem eius, qui nudus pro te in cruce mortuus.

Valedic propriæ tuæ voluntati, ob amorem eius, qui factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis.

PUNCTUM II. Reputa tecum totam vocationis tuæ ad Religionem seriem: quàm miris modis huc te Deus duxerit? qui in particulari enarrari non possunt: quia fermè pro conditione vocatorum, alij & alij sunt. Generaliter loquendo, Alij post multas difficultates superatas euadunt ad Nouitiatum: quis facit vt superentur? Deus ipse. Alij sine vllis tricis veniunt ad Religionem: quis ne adessent fecit? Deus tuus. Alij cæcitate ducuntur, ita vt nesciant quomodo huc venerint: quis obtexit oculos animæ? Deus ipse. Alij somnijs miraculosis, instinctibus fortissimis, concionibus, vel colloquijs, planè quasi ad se directis; quis ista direxit? Deus ipse! Eclama ergo cum Dauide: *Confitebor tibi Domine, in directione cordis.* Fac propositum perseuerandi in Religione, & quidem austeritates Religiosas, in naturam tibi

verten-

71 vertendo, humiliationes tui, tanquam panem ordinarium deuorando. Et cuius intuitu? amore eius, qui pro te in Cruce patibularius mortuus est.

Sunt quædam vocationes, sicut boni Latronis, in senio, seu fine vitæ. Gratias age pro vocatione boni Latronis, & omnium in prouectiori ætate. En talibus apprecantur serui Dei: *Hodie mecum eris in paradiso:* parum, vix aliquid durabis, & paradisum ingredieris.

Alia est vocatio, sicut S. Pauli, in annis vegetis; sed & ipsa robusta est, ad quam perficiendam, sit necesse equo deicere Saulum, fulgurè terrere, conterere voce: *Cur me persequeris?* Gratias age pro vocatione S. Pauli, & pro omnibus ita vocatis, quibus vota sua accommodant serui Dei: vt tales sint, *Vas electionis, vt portent nomen eius coram gentibus.*

Alia deniq; est vocatio in ætate tenella, qualis est vocatio S. Ioannis Apostoli; & fratris eius Iacobi, ita ab Euangelio descripta: *Vidit alios duos fratres, & vocauit eos; illi autem statim, relictis retibus & Patre, secuti sunt eum.* Ita multi iuuenes, sine multis persuasionibus, videntur à Domino IESU per gratiam, vocantur per illuminationem internam Spiritûs Sancti: illi autem statim, non gustato seculo, statim, non gustatâ seculari pompâ, statim, relictis retibus, quibus fortunam piscari potuissent, & Patre, & Matre, & interdum alijs fratribus, sequuntur Dominum. Gratias age pro vocatione S. Ioannis, & aliorum in tenera ætate vocatorum. Et taliter vocatis optant serui Dei: sis sicut S. Ioannes, Virgo à Deo electus; sis sicut S. Ioannes in pectore Domini IESU requiescens; stabis quidem sub Cruce, sed te Beatissimæ in filium tradet Christus: iniicieris in dolum feruentis olei, siue tentationum, siue afflictionum, sed vt illæ sus excas.

Perpensâ conditione vocationis tuæ, stude illam cor-

72 cordialiter amare: sit tibi vocatio tua sicut pupilla oculi, quæ nunquam tangenda; sit tibi vocatio tua, sicut cor tuum, quod si vel leuiter pungatur, emori facit. Pete à Deo, vt te faciat potiùs mori, quàm è Religione dimitti, & in hac petitione, dissoluatur anima tua.

Fac propositum, in quam virtute specialiter totâ vitâ religiosâ te exercere debeas? Elige tibi futurum huius statûs ex Religione ipsa Patronum, cum proposito imitandi vitam, & actus eius.

PUNCTUM III. Exue, re & corde, vestes tuas seculares, mente illas proculca, & affige illas Cruci, præcipuè ad clauum pedum Domini, vt sint inibi quasi pro votiuâ tabella & anathemate, à te appenso. Exue autem non tantum has, quas habes, sed & quas habere potuisses, quas apud alios vidisti, imò quæ & possibiles sunt; vt dicere possis cum S. Paulo: Non tantum hæc, non tantum illa, *sed omnia, arbitratus sum vt stercora*. Vt item illud innouare possis: Omnem ornatum seculi, contempsi propter amorem Domini nostri IESU Christi. Accipe re & corde vestem tuam Religiosam, præsentata eam Ss. Trinitati, & pete singillatim à Patre, singillatim à Verbo æterno, singillatim à Spiritu Sancto, benedictionem vesti tuæ Religiosæ, & repete Psalmistæ verba: *O Domine ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*, huius religionis ad quam me Domine, è seculo vocasti. Præsentata, re & corde, vestem tuam religiosam Christo Crucifixo; emit eam tibi Christus in tuâ salutem, pretioso sanguine suo, vt sit in asperionem sanguinis Domini nostri IESU Christi: vt loquitur Apostolus. Pete stillam sanguinis pedum eius, vt sis deuotus ad IESUM, & hunc Crucifixum. Pete guttam sanguinis è manibus illius, vt sancta opereris. Pete vnam gemmulam sanguinis è corde illius effluentis, vt sanctè in hac religione viuas, &, &, &, moriaris. Eandem de-
inde

73 inde vestem religiosam, tanquam per pretium sanguinis Domini tibi acquisitam, reuerenter osculare. Accede, re & corde, ad Beatissimam Virginem. Pete vt Vestis tuæ religiosæ benedicat; pete vt illam vertat in portionem pallij sui; vt possis gloriari: *hac me veste, Beatissima, Religionis meæ quasi Gatechumenum, contexit*.

COLLOQUIUM. Imaginare, quòd Angelus tuus Custos adferat tibi imaginem Christi Crucifixi, illam manibus tuis inserat, commonefaciatq; vt mente semper illam manibus stringas, circumferas, mente repræsentes. En primarium remedium, modus primarius ad perseuerandum, amor Christi Crucifixi! Deslebis ad pedes eius peccata tua; quidquid graue contigerit, inde solatium habebis; plura, plura enim pro te, tulit Dominus tuus. Hic disces in omnibus te mortificare, quia ob tui amorem, *non est Sanitas inuenta in eo Crucifixo*. disces non descendere de Cruce Religionis tuæ, nam & Dominus tuus in Cruce mortuus pro te. Induentem ergo te vestem Religiosam, benedicat te Dominus, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducatur æternam, Amen.

MEDITATIO

De Filio prodigo.

PRÆLUDIUM I. Propone ob oculos, ex vna parte, locum illum, vbi filius prodigus in summa egestate porcos pascebat; ex altera, Palatium, in quo prodigi filij Pater, in affluentia rerum omnium, cum suis versabatur.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo, vt te in suam gratiam benignè receptum, nunquam ampliùs à se recedere permittat.

K

PUN-

74 PUNCTUM I. Considera, quàm dispar sit eorum conditio, qui longè à Deo recedentes, peccatorum for-
dibus, quasi porcorum filiquis, pascuntur, & eorum,
qui à peccatis absoluti, gratiâ perfruuntur? quod signi-
ficant illa verba filij prodigi: *Quanti mercenarij in domo
Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor?* Quan-
do tu adhuc in innocentia eras, quando nullo peccato
mortali maculatus, viuebant alij multi iam peccatis fæ-
datissimi: & ecce illi conuersi, & in domum patris eti-
am cœlestis assumpti, gaudent in cœlis! tu autem,
conscijs qualem habeas animam, iure exclamare po-
tes: *Pater peccaui in cœlum, & coram te, nec sum dignus vo-
cari filius tuus, fac me vnum de mercenarijs tuis*, vnum de
pœnitentibus post peccata, vnum de plangentibus sce-
lera in amaritudine animæ suæ.

Considera, ex quo tu cœpisti à Deo tuo recedere,
quàm multi ex Ethnicismo, quàm multi ex infidelitate
conuersi, qui nec de Christo audierant? alij de Christo
audientes, ob infidelitatem suam, in blasphemias eti-
am prorumpabant: modò autem, & amant Dominum
Iesum, & amantur ab illo; tu autem Christianus natus,
tot beneficijs diuinis ante illos, non tantùm pastus, sed
saginatus, non tantùm nutritus, sed innutritus, hucuf-
que, tanto tempore, nec amâsti Dominum Iesum, pec-
catisq; tuis impediisti, ne ille amaret te, violentiamq;
cordi illius intulisti, quia ille perpetuâ dilectione vo-
luit amare te! Exclama ergo: *Quanti mercenarij, quan-
ti conuersi ex infidelitate, in domo Patris mei, Dei mei,
abundant panibus, ego autem hic fame pereor.*

O quot Missæ celebratæ, o quot decantata & recitata
officia, quot mortificationes factæ, fortè & martyria
subita, quot eleemosynæ impensæ, toto hoc tempore,
quo tu in statu, & peccatorum habitu non retractato
durâsti, nec horum factus es particeps! *Quanti Merce-
narij,*

75 *narij*, hoc est, quanti peccatores, iam ad Christum con-
uersi, de his omnibus participârunt? tu non participâ-
sti! & quia hæc merita transferunt, iam hac viâ non
participabis ex illis in æternum! O quantum hoc
damnum!

Minoribus præsidijs peccatores traxit ad se Deus,
non præuenit eos tantis benedictionibus vt te: illi in
comparatione tui, erant mercenari Patris, tu filius Pa-
tris; & ecce illi iustificati, & constituti in gratia, influ-
xus vberiores gratiarum diuinarum habuerunt toties,
& toties; tu autem in peccato constitutus, obstruxisti
vbertati illorum aditum ad cor tuum, & in sceleribus
tuis peribas! O quali statui fuisti!

Vide ergo quanta damna per peccatum tuleris, quàm
in itinere ad Patrem tuum tardâris? Inclama ergo amo-
rosè: *Surgam, existis peccatis meis per gratiam, surgam
ex ista pessima vita mea, & ibo ad Patrem meum*: pedi-
bus illius aduoluam, clementiam implorabo, vitam meâ
totâ, æternitate totâ, ab illo non recedam.

PUNCTUM II. Perpende filij prodigi confusio-
nem, cum ex altera parte patris in se clementiam & li-
beralitatem, à quo portionem substantiæ acceperat, re-
cordaretur, ex altera vero suam in Patrem ingritudi-
nem animaduertit. quam confusionem, tum maxi-
mam fuisse considera: cum se squalore ac pannis obfi-
tum, coram Patre sisteret, suumq; ac Patris dissimilli-
mum ornatum, inspiceret.

Tu es iste filius prodigus, nonne, in te, summam li-
beralitatem Domini tui, in tot rebus, expertus es? ita,
vt cum S. Paulo dicere possis: Nihil eorum mihi deest.
quomodo hanc liberalitatem Deo tuo rependisti? cer-
tè reddidisti ei malum pro bono.

Dederat tibi in baptismo Dominus tuus innocentie
vestem, & vbinam illa? dederat vestem gratiæ, iam
post

76 post primum peccatum pœnitentiã deletum: vbi hæc vestis? toties illam tibi Dominus tuus restituebat, quoties ad illum conuertebaris: vbi hæc vestis? quis Magnatum se & suos ita vestit, vel reuestit, frequenter, vt te reuestiuit Christus: quò hæc munera illius proieci- sti? Incusa reditum tuum ad peccata, dole de abiecta veste hac gratiæ.

Quando dicitur de Sanctis, quòd fulgebunt plus quàm sol, id literaliter accipi ita potest: Tantum fore decorem gratiæ, qui tunc intuitiue noscetur, vt solis fulgor ei comparari non possit; & tu peccando, accepisti tunicam diaboli, squalorem inferni, sulfuris indumenta: & vestis gratiæ vbi?

Fratres Ioseph, ostendentes tunicam eius Patri suo Iacobo, dicebant: Hæccine est tunica filij tui? dum te vides peccatis tuis vestitum, quære ex æterno Patre: Hæccine est tunica Filij tui? Itane me ille in baptismò vestierat? itane me post pœnitentiam induerat?

PUNCTUM III. Attende summam Patris in Filium benignitatem, quem adhuc longè existentem videns, misericordiã motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.

Pater iste Deus tuus est, abieras in Regionem longinquam, vsq; ad inferni nouissima, quis tibi ab hoc barathro redeunti occurrit, succurrit? Deus tuus, Pater tuus! quis fecit vt peccata tua desleres? ille qui respexit Petrum & fleuit amarè. Nonne & tu cum Ecclesia de Magdalena loquente, dicere potes: *Pater superni luminis, cum Magdalenam, cum me N. N. respicis, flammam amoris excitas, gelug, soluis pectoris.* Tu me Domine adhuc longè absentem intuitus es, & misericordiã motus, auxilio tuo præuentum, benignè amplecteris, & non vnus, non alterius, sed delictorum omnium oblitus, in gratiam denuo, & denuo, & adhuc nunc vt spero,

77 spero, recipis. Obi quinq; vulnera Domini Iesu, & repete ad singula Orationem filij prodigi. Pater peccavi in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Adi dorsum eius aratum, caput tot spinis compunctum, oculos lacrymis sed sanguine mistis manantes, & ad singula repete dicta verba: Pater peccavi. Hoc enim dorsum est pro te flagellatum, caput pro te punctum, oculi pro peccatis tuis lacrymantes.

PUNCTUM IV. Considera eò progressam esse Patris benignitatem, vt ad se redeuntem filium, non modò receperit, verum etiam pristinæ dignitati restitutum, stola prima vestiri, annulo insigniri, calceamentis indui iusserit, quinimò ad ostendendam cordis profusam lætitiã, & vniuersæ familiæ gaudium, de vitulo saginato, conuiuium instruxerit.

En & te recepit Deus tuus, Pater tuus! exclama ergo: Quid retribuam Dominò. Dat tibi stolam primam, hanc ipsam gratiam quam perdidisti, addit & augmentum eius, & si religiosus es, vel eris, stola ista prima, vestis est Religiosa. dat tibi annulum, quia desponsat sibi animam tuam, volens illam amare, tractare, sicut sponsam suam. dat tibi calceamenta, vt conculces mundum, Carnem, Diabolum, teipsum, inquantum tibi malitia tua obest ad salutem. Nullus est parvus, nullus magnus in cœlo Sanctus, cui & vnà Angelo tuo Custodi, & Sancto cuius nomen præfers non accesserit gaudium de tui conuersione. Hic in terra, parat tibi conuiuium seipsum in Eucharistia exhibendo, & desiderat te, vt venias ad illum, vt illo vescaris; & in cœlo, parat tibi conuiuium, vt facie ad faciem pascaris illo, fruaris illo: & quid vltra peccator à Deo tuo requiris? Satis est Domine satis est, quod pro peccatoribus tuis, facis Domine.

COLLOQUIUM erit, vt cum Deo loquens, hanc

78 tantam ipsius bonitatem in te alioqui indignissimum, admireris, interrogando: quid in te viderit vt te tam benignè amplecteretur? Gratias igitur summas Parenti optimo referes, petesq; ab eo, vt te tandem in domum ac hæreditatem suam receptum, nunquam amplius à se discedere patiatur, Amen.



MEDI-

MEDITATIO

De duobus vexillis Christi & Luciferi.

Etiam ipsa Præludia, à S. Patre in hac Meditatione scripta, suggerunt Meditationis materiam.

PUNCTUM I. *Considera ex vna parte Christum, & ex altera parte Luciferum, quorum vterq;, homines ad se vocant, sub vexillo suo congregandos. Ne delibero quidem Domine, ne delibero quidem, quod vexillum tuum petere debeam; sed amor meus, non me sub tuo collocabat vexillo, Domine mi, non enim te (pudet dicere,) sed Mundum, sed Carnem, sed Diabolum potius, factis amaui. Vide quantâ farragine peccatores sequantur vexillum Luciferi, quos inter fuerunt etiam ij, qui te primò ad peccatum induxerunt, pessimas tuas inclinationes irritarunt. Dole super sortem illorum & tuam, protestare quòd velles illos ad Christum reductos, sed præcipuè illos, illos ipsos, quibus tu occasio peccandi fuisti. Conuerte te vterius ad vexilliferum tuum, Christum, planè amaro fer corde, quòd homines vexillum Christi non frequentent, passim potius ab illo, peccando diffugiant, & quos v. g. Confessio & Communio ad illum adduxit, mox, habitus malus, mox praua conuersatio, educit. Statue ita viuere, vt vnus, pro multis, pro omnibus, à vexillo Christi transfugis, contentes cor Domini tui.*

Considera rursus locum amplissimum circa Ierosolymam, in quo Dominus Iesus Christus, tanquam honorum hominum omnium summus Dux, assistat. Sed cur ad Ierosolymam assistit?

80 sistit? ut ducat te ad loca passionis suæ, & sacraria. Ducit te Dominus Iesus ad locum sudoris sanguinei, ut doceat te meminisse mortis tuæ, ut doceat te resignationem in voluntatem Patris, ut doceat te laborem pro se, ad sudorem usque, vel sanguinem. Ducit te Dominus Iesus ad locum, ubi illi alapa impacta, ut doceat te refrenare linguam tuam. Ducit te ad locum ubi facies consputa, & oculi eius velati, ut discas non formas circumspicere humanas, sed meminisse consputæ illius faciei, & ut ob velatos illius oculos, modestè demittas tuos. Ducit te Dominus Iesus ad nocturnum carcerem suum, multis improperijs illius dedicatissimum, ut discas in noctibus extollere manus tuas in sancta, detestarique turpitudines carnis. Ducit te ad locum flagellationis, ut discas, generosè te mortificare. Ducit ad locum Coronationis, ut tandem fastui tuo modum ponas. Ducit te ad locum suæ Crucifixionis, ut discas cum Christo, nudato in Cruce, exuere amorem Mundi, Carnis, tui, tuorum, in quantum bono tuæ animæ officit, ut discas Sacris eius vulneribus affici, & ad pedes eius, cum Magdalena plorare. Ducit te ad Sanctum suum sepulchrum, ut ad illud, à carne tua fugias, ut in illo sepelias te mundo, & memineris, etiam te, & fortè breuè, sepeliendum.

Ex altera parte est campus in Babylonia, ubi se Lucifer malorum & aduersariorum Ducem exhibet. Et cur ad Babyloniam? ut tibi nequam is Dux, vel nolens in memoriam refricet, qualis sit conditio istius mali Ducis. Stat ad illam Babyloniam, in qua Nabuchodonosor ob scelera sua in bestiam conuersus, fœnum ut bos comedit; & quis fuit sub vexillo Luciferi tantus miles, quantus Nabuchodonosor? en eius præmium! Tu sceleribus tuis, nonne merebaris, ut te Deus in canem vel suem verteret? qui factis & sceleribus tuis, pridem iam ut
bellua

bellua viuis. Hæc est illa Babylonia, in qua Balthasar 81
edictum de nocte contra se scriptum vidit, & eadem nocte Regnum perdidit, & regnavit pro illo Darius Medus. Hæc sunt inuitamenta amandi mundi, intra vnam noctem, & vitam, & Regnum amittere. Hæc est illa Babylonia, in qua innocentia trium puerorum ad ignem damnatur, tale est istius Ducis regimen, ut pro delicijs habeat, persequi bonos. Amabisne istam Babyloniam? visne hunc sequi Ducem? protestare quòd non tantum nolis rogare, ut te Lucifer, ut te mundus, sub suo vexillo habeat, sed etiam si rogareris ab illo, quòd nolles, eius sequi vexillum.

Imaginare coram oculis tuis ad campum Babylonicum Ducem impiorum in Cathedra ignea & fumosa sedere, horribilem figurâ, vultuque terribilem. Dæmon Corpus non habet, sed ut exprimatur interna eius & Spiritualis turpitudine, fumosus, horribilis, terribilis, exprimitur. Quid te miser peccator seduxit? quid te seduxit? quia diu, tam diu, ei, peccando seruiuisti? Nondum natus eras, sed in peccato originali conceptus, & iam servus illius fuisti! meministi quàm cito, ex quo ad usum rationis venisti, peccare primùm inceperis, & tunc iam illi seruire incepisti! quoties peccasti, toties eiurato Christo, illig te vexillo illigasti! & ò quoties id fuit? Præsentè animæ tuæ statum considera; nonne & nunc, animû seruitio illius innexû habes! aut saltem prospectas ad vexillum Diaboli. Statue ergo te coram ipsa ignea & fumosa Cathedra, statue ante istum horribilem figurâ, vultuque terribilem, & signo Sanctæ Crucis facto, contritione internâ elicita, amore Dei expressè facto, in signum, quòd nusquam ad illum redibis, in signum æternæ cum illo inimicitæ, exspue in faciem eius, excreas & ubi confusionem hanc Duci nequam feceris, & impiæ turbæ illius, imperterritus vade ad Christum: sed

L

per

82 per proculcatum mundum, sed per proculcatam Carnem, diuitias, honores, te ipsum: in quantum hæc disiungunt à Deo tuo.

Dum hæc agis, *conspicere Christum in ameno campo iuxta Ierosolimam, humili quidem constitutum loco, sed valde speciosum formâ, & aspectu summè amabilem*: Et quia ponè ipsum effulget Beatissima, inclama ad illam: vt tibi impetret ad filium suum felicem accessum, vt impetret aures benignas, vt impetret, inter eius milites & assecclas, censum. Cogita ad Christum, ab Angelo Custode, à S. Patrono cuius nomen præfers, te deduci, cogita occurrere tibi alios cælites, quibus impensius afficeris, stipareque latus tuum, & tunc gaudeat anima tua tot vinculis & periculis soluta, exclamaq; cum Dauide: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Pete gratiam vt exploratas habere possis fraudes mali Ducis, inuoca simul diuinam opem, vt eas vites. Pete gratiam, vt veri optimiq; Imperatoris Christi agnoscas mores ingenuos, ac per gratiam imitari possis.

PUNCTUM II. Dum ita es in abitu à malo Duce, & in via ad optimum Ducem Christum, ex vna parte aduerte, *Quomodo Dux malus Lucifer: conuocatos demones innumeros, per totum orbem spargat, ad nocendum, nullis Ciuitatibus & locis, nullis personarum generibus, immunibus relictis*. Et hæc est illa bonitas istius Ducis, velle nobis nocere, ad nocendum, suos expedire. Cui tu vnquam Domine Iesu nocuisti! cui nocuisti! & cur non ego potius tuum sequar vexillum!

Dum ita ad nocendum toti mundo expedit Lucifer, etiam ad te expedit suos, quia adhuc parvulus contumeliam illi intulisti, ore alieno dicendo: *Abrenuncio Sathane*; quia dolens de peccatis, transfuga eius factus es, & modò etiam viam quæris, ne in posterum ad eum regrediaris, Christum tuum sequendo. Nonne abdu-

ctus

ctus es frequenter à ministris Luciferi? meministi primi tui actualis peccati, tum primùm actu illum salutasti, nomen eius super te inuocasti: meministi, quando bibebas sicut aquam iniquitatem, totus seculum & vanitates sequebaris, & quidem, iam etiam sine remorsu grauiori conscientie? tunc planè domesticus dæmonis & hereditas illius fiebas. O quoties vexillo te diaboli adiunxisti! o quàm diu sub illo militasti! Deterius aliquid est, quia non tantùm Diabolos mittit contra te Lucifer, sed in te ipso, inuenit fauentem sibi amicum, partem scilicet tui sensualem, & inferiorem: Vnusquisque enim à semetipso tentatur, suâ concupiscentiâ abstractus & illectus. Nonne posses dicere: *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis mee*. Ergo perculsus horrore, quòd intra te ipsum hostem habeas, amicum Luciferi foueas, exclama cordialiter: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Fac propositum castigandi corpus tuum, & in seruitutem redigendi, fac propositum odiendi te temporaliter, vt viuas in æternum.

Speculare ex altera parte quo pacto ipse mundi Dominus vniuersi, electos Apostolos, Discipulos, & Ministros alios, per orbem mittat, qui omni hominum generi, status, & conditioni, doctrinam sacram ac salutiferam impertiant. Gratias age Domino tuo pro hac sollicitudine salutis mundi, Gratias age ipsis Sanctis ministris, laborantibus in Euangelio circumferendo, in particulari S. Andreæ Scythiæ Europææ Apostolo, & S. Clementi cuius prædicatione & miraculis, omnes gentes per gyrum, crediderunt Christo Domino, in quibus & natio tua. Gratias age Ss. Adalberto & Stanislao pro fide hîc confirmata, illustrata.

Meministiñe illius tribulationis, quæ te meliorem fecerat? Apostolus illa Christi fuit! meministi illius

L 2

conso-

84. consolationis, quæ te sanctiorem reddiderat? Aposto-
lus illa Christi fuit! Meministi illius concionis, memi-
nisti illius Confessionis, meministi illius colloquij Spi-
ritualis, omnia ista Apostoli Christi officio fungebantur!
meministi illius communionis, & tunc ipse
Dominus in persona veniebat ad te, vt te sibi sociaret.
Gratias age Domino tuo, pro omnibus modis, quibus te
ad se trahebat, pertrahebat. Gratias age etiam pro ijs
gratijs, quas tibi abundantius præstitisset, si impedi-
mentum eis non posuisses, pete vt sua beneficia in te
tueatur, pete vt ad infideles & peccatores dirigat viros
Apostolicos, in particulari ad eum, quem fortè noue-
ris, speciali ad bonum vocatione, indigere.

PUNCTUM III. Attende, cuiusmodi Concionem habeat
Lucifer ad ministros suos, quos instigat, vt correptis iniectisq;
laqueis & catenis, homines, primùm trahant (quod ferè contin-
git) ad cupiditatem diuitiarum, vnde postea facilius in mun-
dani honoris ambitionem, ac demum in superbiae barathrum, de-
turbari queant. Ita vt tres sint præcipui tentationum gradus,
in diuitijs, honoribus, & superbia fundati: ex quibus in alia
vitijs omnium genera, præceptis fit decursus.

Sentisne affectum ad pecunias & possessiones mun-
danas? time, quòd fortassis id missionarius Luciferi
cordi tuo inieuerit. Appetis ab omnibus honorari?
Concionem Luciferi audiisti! non es ita superbus,
quin te superbum esse aduertas? infer ergo: te vocem
diaboli, pronâ excepisse aure.

Ausculta aliunde Concionem Christi exhortatoriam, ad seruos
& amicos suos omnes, in opus tale destinatos, quæ eis præcipit, vt
iuuare studeant quemlibet, ac primò inducendum curent ad Spi-
ritualem affectum paupertatis, & insuper (si diuini obsequij ra-
tio, & electio cœlestis eò ferat) ad sectandam, actu ipso, veram
paupertatem. Deinde vt ad opprobrij contemptusq; desiderium
alliciant, vnde humilitatis virtus enascitur. vt ita tres con-
sur-

surgant perfectionis gradus: videlicet paupertas, abiectio sui, 85
atq; humilitas, quæ ex diametro, diuitijs, honori, & superbia
opponuntur, ac virtutes omnes, statim introducunt.

Examina te, amasne sincerè paupertatem? paratusne
es, si Deo cordi foret, etiam obolo carere? per sentiscis-
ne in te desiderium opprobriorum, & contemptus?
planè contento corde, ex ordinatione de te prou-
dentis diuinæ, dicis? *Bonum mihi, quia humiliasti me
Domine.*

In particulari considera quomodo Christus com-
mendet te Angelo tuo custodi, vt te ducat, & perducatur
vsq; in vitam æternam, quomodo commendet te S.
Patrino, cuius nomen geris, vt te, ab hoc in particulari
vicio, abducat, has in particulari virtutes tibi inserat.

Quando in agone eris ita te alloquetur Ecclesia Dei
ore Sacerdotis: *Commendo te omnipotenti Deo cha-
rissime frater.* Iisdem verbis, & ego te alloquor: En
charissime frater, habes duo vexilla, Christi & Luciferi,
quod sequeris? en duas vias, vna quæ ducit ad vitam,
altera quæ ducit ad interitum, qua via ibis? resolu
ergo te hîc, & resolu, resolutione, quæ incipiat statim,
duret in æternum.

Poterit te inestare illud dictamen: Postea emenda-
bo vitam; sed occurrit tibi pœnitens Augustinus. *Cras
& cras, cur non hodie finis turpitudinis meæ?* Quod maius
est, intonat Christus: *Vigilate itaq; quia nescitis diem neq;
horam.* Si cras mori deberes, an non hodie pœnitenti-
am inciperes? nescis an ipsam hodie finiturus sis; cur
illam non incipis? Et etiam si nescio quàm diu viueres,
maior est proportio vnus diei ad mille annos, quàm
mille annorum, ad totam æternitatem; si ergo viuere
deberes iam non nisi vno die, hoc die pœnitentiam
velles agere; cur non ages totâ vitâ, fortè breui, quæ
quantacunq; sit, vnus diei proportionem non habet, ad
totam æternitatem. L 3 Occur-

86 Occurret & illud dictamen: Non potero resipiscere, non potero emendare vitam! Alludit hæresi hoc dictamen: potentior enim est gratia, diabolo; potius audi commonefacientem Christum: *Arcta via est ad cælum: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Soletur te & illud Augustini: Possunt hi, & illæ, & tu non poteris!

Pete à Ss. poenitentibus, incipiendo à Magdalena & Petro, vt te doceant pænitere pro peccatis, corrigere vitam, Christi vexillo adhærere.

COLLOQUIUM I. ad Virginem Beatam. *Implora per eam, à Filio, gratiam, vt recipi possis, & manere, & manere, sub vexillo eius, idq; per spiritualem tantum paupertatem, aut etiam in rerum exspoliatione sitam: siquidem ad eam te vocare atq; admittere dignabitur.* Implora rursus per Beatissimam, à Filio eius gratiam, vt recipi possis, & manere sub vexillo eius, per abiectionem quoq; seu ignominiam: vt ipsum Dominum IESUM, imiteris vicinius; deprecando tamen culpam aliorum, ne contemptus tui, tam in alicuius detrimentum, quam in offensam Dei cedat. Terminabisq; Colloquium, per Aue Maria.

COLLOQUIUM II. Ad Christum hominem dirigatur, vt tibi à Patre impetret, illud idem, & recitabis sequentem orationem, per secundum modum orandi.

Anima Christi sanctifica me, sed iam sanctificatione æternâ. Corpus Christi salua me, quia meum damnat me. Sanguis Christi inebria me, vt dicere possim: ego stultus propter Christum. Aqua lateris Christi laua me, & ab occultis meis munda me. Passio Christi conforta me: toties enim me in bono debilem sensi. O bone IESU exaudi me, qui inclinato capite mortuus es, preces nostras exauditurus. Intra tua vulnera absconde me, ne mundus, caro, Diabolus, inueniat me. Ne permittas me separari à te, qui ita frequenter accessi ad te, & tamen toties recessi à te.

Ab ho-

87 *Ab hoste maligno defende me, neq; enim ego tutari me ab ipso possum. In hora mortis meæ voca me; vtinam in illa, vocem tuam audiam, vtinam mitis atq; festiuis tuus aspectus, mihi appareat. Et iube me venire ad te, quia indignitatum mearum conscius, non auderem accedere ad te. Vt cum Sanctis tuis laudem te, videam te, amem te, in secula seculorum Amen.*

COLLOQUIUM III. Ad Patrem, vt eidem petitioni annuat, transferq; huc orationem, quam habet S. Pater in Contemplatione ad amorem spiritualem in nobis excitandum, eamq; per secundum modum orandi recita. *Suscipe Domine Vniuersam meam libertatem, vt ego seruus sim tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Accipe memoriam, vt te præsentem cogitem, intellectum atq; voluntatem meam, vt omnes rationalis animæ meæ motus in te tendant, in te moueantur. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tua prorsus voluntati trado gubernandum. meum Corpus, iam non sit meum; anima mea, iam non sit mea: mea bona, iam non sint mea, sed tua Domine; tu illis ad placitum, ad gustum tuum, vttere. Et quid à te pro istis omnibus peto Domine? non liberationem ab inferno, non liberationem à purgatorio, non præmium in terra vel in cælo; Amorem tui solum, cum gratia tua, mihi dones, & diues sum satis, nec aliud quicquam ultra posco. In fine dic. Pater noster.*

MEDITATIO De Regno IESU CHRISTI.

PRÆLUDIUM I. Imaginare quòd spectes, Synagogas villas & Oppida, quæ Christus pertransibat, prædicans Regnum Dei.

PRÆ-

88 PRÆLUDIUM II. Pete à Deo, ne obsurdescas vocante te Christo, sed vt ad sequendum & obtemperandum, promptus sis.

In hac contemplatione Regni Iesu Christi, & in meditatione de duobus vexillis, fertur S. Pater Ignatius habuisse reuelationem, de forma instituti Societatis Nostræ, & in illis totam ideam huius Religionis sibi formasse. Calente ergo corde, petenda erit gratia, benè & penetratiuè hanc meditationem faciendi.

PUNCTUM I. Proponetibi ob oculos mentis, humanum Regem, non tumultu, nec factionibus, sed diuinitus electum, cui Principes & populi omnes Christiani, reuerentiam & obsequium præstare debeant, ita vt non sit iam vllus alius Monarcha, vllus alius Rex Christianus, nisi ille. Expecta ergo quid huic Regi mentis futurum; Et ecce ille inquit: In animo est mihi, Regiones infidelium vniuersas, ditioni meæ subijcere; Quicumq; igitur me comitari velit, paratus sit oportet, non alio vti victu, vestitu, rebusq; alijs quam me vrentem conspexerit: In iisdem quoq; laboribus, vigilijs & casibus cæteris, mecum persistere velit, vt particeps fiat victoriæ, & felicitatis vnusquisq; pro ut laborum ac molestiarum socius fuerit.

Applica hanc similitudinem ad Regnum Christi: Hic enim est Rex Regum & Dñus dominantium. Dominus Iesus vocat nos ad se, hac non nisi obligatione positâ, vt nolimus esse meliore conditione, præ ipso. Fatuitas esset, etiam velle deliberare: an debeamus esse contenti eadem sorte, quâ Christus: ita perspecta est nobis eius dignitas, ita per se patet, quòd non debeamus nobis meliora desiderare præ Christo, imo nec oblata accipere.

Rebus ipsis implemus hoc? manus Christo perforatæ, nostræ integræ: terebrati pedes, punctum caput,

89 put, & cor, nobis intactis: & infer: iam cessasse Christum hac conditione, nec exigere vt pariter cum illo tractemur; meliora nobis, sibi deteriora elegit. Et non stupebis, ad hanc eius dignationem, non amabis eum, qui vt tu benè & abundanter haberes, etiam patibularius, pro te, factus est?

Hoc tamen, peccator, à te exigit Christus, vt saltem imiteris Dominum tuum. Offeret sese occasio alicuius defectus, pauperies incumbet, memineris nudati in Cruce Christi; infamiola, premet, memineris Christi, qui factus est opprobrium populi, & abiectio plebis.

Quid etiam facies, vt vel aliquomodo referas sortem & conditionem Domini tui? illius puncto capiti, quid repones? manibus & pedibus confossis, quid rependes? cordi transfosso, & toti corpori vulnerato, quid in te, similitudine exprimes? Induc in animum, mortificare seruo corpus tuum, & in seruitutem redigere. Et si ita ignavus sis, vt de doloribus Domini nihil participare velis, saltem patienti compatiaris, dolenti condoleas, vt ad eius latus, & in eius Regno, viuere velis.

PUNCTUM II. Ratiocinare, quòd si sis sanæ mentis, cupidissimè Christi seruitio te totum offerre & addicere debeas, & non expectatâ meditationis materiâ, ipse illam tibi inuenias, dabit Dominus benignitatem, & terra cordis tui dabit fructum suum. Post tua cogitata, hæc etiam suggero.

1. Ita clarum est debere nos Christo seruire, vt non nisi delirus dicere possit, præstare, vt cui alteri seruiatur. 2. Mundus, Caro, Diabolus, ita sunt impotentes, vt viribus proprijs, & à Deo non acceptis, ne quidem vnâ muscam producere possint; & Deus tuus omnia ex nihilo creauit, te ipsum tibi dedit; & non eritne iustum, vt illi potius seruias? 3. Quid tibi potest Dæmon, Caro, Mundus, pro stipendio offerre? nisi remorsum.

90 conscientiar, & infernum? Christus dat tibi beatitudinem & gaudia æterna: cur ei non seruias? 4. Quo te vnquam beneficio affecit Mundus, Diabolus, Caro, cum ipse naturæ, Auctor sit Deus: ex altera parte mare beneficiorum, in te effudit Deus, & si hæc pauca sunt, effundet plura; cur non illi seruias? Si hodie bene tibi vellet Diabolus, Mundus, Caro, hoc ipso definerent esse, Diabolus, Mundus, Caro; ita illis essentielle, malè tibi velle; ex altera parte ita essenziale est Deo, benè tibi velle, secundùm illud scripturæ: Nihil odisti eorum, quæ fecisti: vt si hodie inciperet Deus, malè tibi velle, hodie defineret esse Deus; & cur non illi seruias? 6. Christus pro te mortuus est, & ita crudeliter mortuus est: pro te, ne festucam quidem leuauit Diabolus, Mundus, Caro; cur non Christo seruias? 7. Non potes ire ad Mundum, Carnem, Diabolum, nisi per proculcata Christi vulnera, proculcatum sanguinem; cur illum proculcabis? cur non Christo seruias? *Quid enim, repeto, Quid enim, & adhuc repeto, Quid enim mali fecit?* Resolue ergo te ad hoc, vt spectes ad Regnum Christi, pete vt te Christus ad hoc suum Regnum adsciscat. Dole, quòd sis secutus insidias Diaboli, blanditias carnis, Mundi fucum.

PUNCTUM III. Considera, quidnam respondere debeant Regi amantissimo, & liberalissimo, fideles subditi, & quàm promptè ad omnem eius voluntatem offerre se accinctos. Contra vero, si quis non obaudiret, quanto apud homines vniuersos vituperio dignus esset, atq; quàm ignavus miles æstimandus.

Applica hæc Christo. Rex iste amantissimus, Dominus Iesus tuus est. An non amantissimus? quid non in illo amantissimum? an non commendat tibi amorem suum, qui videtur magis te æstimare, quàm æstimet se. vt tu æterna haberes gaudia, ille cæpit tristari, tædere,

& mæ-

91 & mæstus esse: vt tu hæc ipsa temporalia bona haberes, ipse nudatus in Cruce: ne esset necesse te saluari, nonnisi per flagella, ille pro te flagellatur: ne esset necesse te saluari nonnisi per spinas, clauos, lanceas, ipse pro te spinis coronatus, clavis confixus, lanceâ punctus, verè Rex amantissimus!

Quis est iste Rex liberalissimus? Christus tuus est. Duo vnusquisq; habet, se, & sua; qui de suis plura impertit, liberalior est: qui plurima, liberalissimus. nemo autem se ipsum alteri dat. Habuit Christus & habet tot gratias, & ita illas tibi offerebat, tamq; multas, vt super illas nausærit anima tua, plures enim longè gratias repalisti, quàm acceptaris. Habet beatitudinem suam, ad eam rogat, vt eas: habet bona ista & mundum totum, propter te, illum creauit; sed habuit adhuc seipsum, etiam seipsum tibi donauit, in redemptionem, in cibum, in obiectum beatitudinis. Verè liberalissimus Dominus! Gratias ei age pro ista liberalitate, propone illa vti, non abuti.

Sed tu, fidelissime subditus es istius Regis? verè infidelis! quoties peccasti, toties proditor Principis tui factus! Tuñe te offers ad omnem eius voluntatem, qui hucusq; nonnisi cum remorsu, in ipsa oratione Dominica dicere potes: Fiat voluntas tua. Resolue te tandem in voluntatem diuinam. Duo à te exigat Christus, resolutionem ad laborum & Crucis tolerantiam, cum Christus prior illa tulerit. Offersne te sincero corde ad labores, opprobria, derisiones? quibus omnibus, prior pro te saturatus est Christus. Deinde, exigat à te, vt collabores illi, ad deducendum mundum ad obsequium illius. Quomodo in hoc Christo collaborasti? qui secutus mundi partes, iura mundi cum mundo amasti, contra Deum & contra conscientiam, propugnasti. Mundus quem Christo adducere debes, tu primum

M 2

num

92 mùm es. ipse te primò Christo, subde, subiuga. Subdo Domine, subiugo.

Non hē quicunq; miles plura vult Rege suo pati, & vt eum defendat, pectus suum opponit? Visne tu plura Christo tuo pati? certè velle deberes! contentus erit Christus, vt expugnes carnem, sensus refrænes, amorem proprium exuas, affectum mundanum, rebellem Christo, tandem excutias. Et vbi illa promissio, quam in baptismo fecisti? abrenūciasti Sathanæ? & tu potius abrenūciasti Christo! abrenūciasti omnibus operibus eius, & tu potius secutus es omnia opera eius! abrenūciasti & omnibus pompis eius, & tu, toto desiderio, ad illas anhelas. Redi ergo ad Christum Regem, redi ad Regnum eius.

Inculca tibi in hac meditatione. Christianus sum, Christum sequi debeo. Christianus sum, Crux mihi placere debet, quæ ita placuit Domino meo. Christianus sum, si non possum totum mundum, saltem plures, si non plures, saltem aliquos, si non aliquos, saltem me ipsum, Christo offeram, & subiugabo, mancipabo.

COLLOQUIUM. Secundùm quod illud formauit ipse S. Ignatius. Imaginare ergo Christum, quasi in librum vitæ inscribentem milites suos, non atramento, sed sanguine, quem nunc è vulneribus pedum, nunc è vulneribus manuum, nunc è vulnere cordis accipit. Elige quo sanguine inscribi velis, & vt hanc inscriptionem merearis, in dictionibus, quas tibi conscientia magis perpendendas dictabit, sistendo, dic hanc de qua inuit S. Patris orationem / En ô Rex supreme ac Domine vniuersorum, tuâ ego, licet indignissimus, fretus tamen gratiâ, & ope, me tibi penitus offero, meaq; omnia tuæ subijcio voluntati: attestans coram infinita bonitate tua, nec non in conspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ, totiusque Curix cœlestis, hunc esse animum meum,

93 meum, hoc desiderium, hoc certissimum decretum, vt (dum modo in maiorem laudis tuæ & obsequij mei prouentum cedat) quàm possim proximè te sequar, & imiter in ferendis iniurijs & aduersis omnibus, cum vera, tum Spiritus, tum etiam rerū, paupertate: si inquam Sanctissimæ tuæ Matestati, placeat, ad tale me vitæ institutum eligere, atq; recipere.

MEDITATIO

De Regno & vexillo Christi in Religione, tribusq; classibus.

PRÆLUDIUM I. Pone tibi ob oculos Christum baiulantem Crucem, ad eius pedes, prostratum S. Patrem Religionis tuæ Fundatorem.

PRÆLUDIUM II. Pete ab eodem, vt tibi in Religione, & in hac in particulari meditatione, sit propitius.

PUNCTUM I. Pone tibi ob oculos personam quandam, non absimilem tuis Religiosis, nec paucos habentem sequaces, & hic est Sathanas, transfigurans se in Angelum lucis, hominemq; Religiosum. Primas tenent ad hoc vexillum ij omnes, qui parati sunt exire ex Religione, modosq; querunt. Non fuistiñe tu aliquando in eorum Societate? Roga Deum ne sis, supplica pro his, qui in vocatione tentantur.

Dispositio ad talem infelicem primatum est, dicere: quòd non habueris vocationem veram. At, habesne de hoc ipso reuelationem, quòd non habueris veram vocationem? positâq; luctâ an fuerit vera vocatio, an non vera? & æqualitate rationum pro vtraq; parte: Evangelium est pro vocatione, superabitq; vocatio. *Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est*

94 *est regno dei.* Quid si, quod non habueris veram vocationem, sit tentatio? numquidne benè tecum ageretur, deserendo illam? Est pro vocatione scriptura sancta: *Vocavi & renuistis, ideo in interitu vestro videbo, & subsannabo vobis.* Quod autem hoc sit tentatio, vel exinde perspicies, quod non ratione aliquâ Evangelicâ, & gratiæ, sed naturæ, fugâq; Crucis, mouearis. Pete à Christo suos Discipulos vocante, vt te cum illis vocet, & seruet cum ijs, qui cum Iuda non exciderunt suo Episcopatu.

Dispositio rursus ad talem primatum, est tentatio, quod non possis seruare vota. Mi frater, quid si nolles esse Christianus, quia non potes confiteri? quia non potes seruare præcepta? eandem cogitatio à Deo iniecta? putasne quod ea quæ tibi graua in votis, non fuissent similia euentura in seruandis præceptis, si fuisses secularis? & si nunc in tanta abundantia gratiarum, grauis tibi eorum obseruatio, subtrahente se Deo, quem in Religione relinquis; qui non grauior tibi redderetur præceptorum obseruantia? & post hoc iudicium, & damnatio.

Possunt hi & illi, poterat tu, ab initio aliud sentebas, cum à Deo, vel in meditatione, vel in Communionem, vel in aliqua ægritudine, aut casu fortuito incenderaris; cur non eandem mentem etiam nunc retines? Vt ostendas te paratum ad viuendum & moriendum in Religione, fac Renouationem votorum Religiosorum.

Dispositio etiam est, aggrauasse conscientiam, si non peccatis, saltem grauibus imperfectionibus. Breuiter, taliter vixisse (vnusquisq; interpretetur secundum conscientiam) vt verum sit dicere: *In terra Sanctorum iniqua gessit.* Est remedium, correctio vitæ. Peccasti in conspectu Domini? numquid Religio tua, locus poenitendi non est!

Dispositio rursus ad talem primatum, est cogitatio, quod non habeas talenta, nec possis esse æqualis alijs.

Cur

Cur tu vis melius bonum Religioni, quàm illa tibi? & tamen Religio te, cum hac talètorum inæqualitate, admittit. Non potes alios æquare talentis, potes virtute, imò cum gratia Dei, etiam superare. Si tibi hoc relinquit Deus, Religioni præstandum commodum, vt superes sanctitate, noli te subducere Deo, id à te poscenti. Melius est bonum Religionis sanctitas, præ doctrina. Sed minor es talentis? etiam talibus, vt tu, indiget Religio, quia ipsa inæqualitas officiorum id poscit; vt corpus sit, æqualitatem membrorum omnium non admittit. Sed fucus est quem tibi facis, tædium vitæ Religiosæ, fuga Crucis, hæc est, hæc, quæ tibi tales fomentat cogitationes.

Dispositio rursus ad talem primatum est, prætexta ægritudo. Si cras, si hac horâ deberes mori, non egredereris forsitan; quis scit quando sis moriturus? cur ergo ex cordiali affectu, non perseueras in Religione! Induc tantum in animum, quod indignus sis qui in Religione locum occupes, & non contemne eam, quæ tibi hîc & nunc potest ostendi, charitatem, & certo liberaberis ab his amaris cogitationibus tuis. Si Deus vult ornare Religionem Sanctis tuis ægritudinibus, cur ei hoc ornamentum subtractum velis? Gratias age Deo, quod putes te verè & benè in Religionem vocatum, illamq; ipsam quâ vocabaris simplicitatem, interpretare donum Dei fuisse; erat enim expeditum diabolo præsentare tibi mundum cum pompa, Religionem cum difficultatibus: sed præsentare, à Deo vocante, non est permissus. Qui secutus es generose, vocantem, sequere æger, cum cruce præeuntem, virum doctorum.

Esses licet ex nunc omnibus à Deo talentis spoliatus, protestare, quod velis vltimus fratrum tuorum, in Religione tamen, viuere. Esses licet omnium ægritudinum

96 *dinum*, sarcina & cumulus: protestare nihilominus, quòd formali perseuerantiâ perseuerare velis, vt sis viu-
vum patientiæ exemplar, spirans purgatorium, modò
merearis honorare Deum & Religionem, rectâ in cœ-
lum euadendo. Pete per institutionem Eucharistiæ, vt
te in Corpus Religionis cooptatum, nunquam permit-
tat Dominus à se separari. Supplica pro illis, qui sunt
in puncto apostasiæ, vt sit illis Dominus propiti-
us. Pete præsidia omnibus, qui in proximo sunt, vt iam iam
se in statu apostasiæ constituent, nisi illis specialiter ad-
fuerit Deus; pete vt adsit. Et hæc est prima Classis pes-
simorum Religiosorum.

PUNCTUM II. Secunda classis media, eorum qui
nolunt quidem egredi, sed dolent se ingressos. Hi non
accedunt quidem diaboli vexillo, sed nec sunt sub
Christi, neutrumque quodammodo locum obtinent.
Tales sunt ordinariè ij, qui ob trias, cum Superioribz
vel æqualibus, amarescunt in Religione; egredi qui-
dem nolunt, sed vellent, se non fuisse ingressos. Sed si
causa consideretur amaritudinum, tales, quamuis pati-
antur vt Latrones, sed boni, Crucem tamen refugiunt,
& cum dent suæ afflictionis, vel proximam, vel remo-
tam ansam, vellent nihilominus tractari, vt benè ope-
rantes. Nam quos dignatur Deus vt simpliciter inno-
cùè patiantur, offert simul illis gratiam, patienter fe-
rendæ Crucis, si non suauem, saltem ordinariè non a-
maram. Accipe remedium: melius est aliquantulum
emendare mores, & transibit persecutio. Est signum a-
moris Dei, quòd in te Deus talia impunita nòlit, hîc
vrit, secat, vt in æternum parcat; cur hanc significatio-
nem amoris respicis?

Rursus, ea conditio Religiosa est, vt non tantum nos
constituat Deus in occasione multa agendi pro se, sed
vult nos etiam multa pati. Si te non vult Deus crucifi-

amurib

gi à

97
gi à carnificibus, si te cruciat per fratres tuos, cur Cru-
cem refugis! Omnes qui fuerunt in Religione, habu-
erunt aliquid, quod à superioribus vel æqualibus pa-
terentur, estq; hic specialis ordo, quem Deus dixit &
ordinauit, cur non stabis huic ordini Dei? Non te de-
negares Deo ad Martyrium, cur denegas ad has Cruces,
quas alij tibi imponunt? & quidem ita, vt te affligen-
do, mereantur apud Deum, putantes, se secundum di-
ctamen conscientiæ, imò & cum obligatione, ita age-
re. Erunt illi in cœlo, qui te affligunt, vt putant iustè, &
ex officio; cur simul cum illis nolis esse in cœlo, pati-
endo ab illis? non finas, vt & hîc, & in cœlo, deterio-
ris sis fortis. Ab hac excogitata à diuina sapientia Cru-
ce, quæ & crucifixum, & crucifigentes, cœlo inserit,
cur te subducis? si hanc crucem tanquam specialem,
& admirabiliorem cruce Martyrum, Deus tibi offert,
admirabiliorem inquam, quia Martyrium inferentes,
peccant, te affligentes, vix non ordinariè merentur;
cur hanc ita excogitatam, ita conditam crucem, non
recipis à Deo? Resolue te ad hanc crucem, circumspi-
ce, quid nunc te affligat? & totum id, diuinæ bonitati
offer; gratiasq; age, pro hac vniuersaliter Religionis
applicatâ, ita tamen sublimiter, excogitatâ Cruce.

Ad eandem classem spectant illi, qui, quia priuati
sunt aliquo officio, vel non applicati ad aliquid, ama-
rescunt, subq; sua vocatione gemunt. Sed vel dignus
es hoc officio, vel non? si non dignus, cur illud appe-
tis? si es dignus, melius est vt de te quærratur, quare hoc
officio non fungaris? quàm cum de alijs quærritur, cur
fungatur? si Deus gustat habere à te, non labores illius
officij, sed mortificationem, quòd illo careas, cur illam
gustui Dei subtrahis? Fortè in illo officio successum
non habuisses? fortè, quia hoc cares officio, præparat
tibi Deus aliud melius; ita enim Deus suos tractare so-

N

let,

98 let, nuncq; contristatos, postea recreare. Quid si carentiâ huius officij, planè vult te Deus humiliare in conspectu solis huius, forteq; si non acquieueris Deo, humiliabit magis? potius ergo exclama: *Bonum mihi quia humiliâste me Domine, ut discam iustificationes tuas. Docete me discipulum vestrum, tribulationes immixtæ. Recepi bona de manu Domini, mala cur non sustinebo?* Puto, quòd tibi legenti Thomam de Kempis, occurrerint illæ lineæ lib 3. cap. 49. quorum te lectione, ad hunc statum patiendi, aprabat Deus. *Potent alij & accipient, tu petes & non impetrabis. Erunt alij magni in ore hominum, de te autem tacebitur. Alijs hoc vel illud committetur, tu autem ad nihil utilis iudicaberis. Propter quod aliquando natura contristabitur, & erit magnum, si silens portaueris.* Resolue ergo te ad has carentias, amotiones, prætermiſſiones, & offer, rogando, vt te non amoueat Dominus, à miserationibus suis, is qui terrena simul & cælestia moderatur, & qui tam constitutos in officio, quàm ab officijs semotos, saluat.

Ad hanc deniq; classẽ spectant illi, qui quia gradu optato in Religione potiti non sunt, nec studia finièrunt, etiam statui Religioso, in quo hæc sibi contigere, parum afficiuntur, licet illum non respuant. Sed si id tibi iustè contigit, cur irasceris? si iniustè, ô quàm insignem, & quàm delicatè peruadentem iniuriam, offeres, iniuriato Crucifixo! Cùm vocabaris ad Religionem, quæ vocationis gratia hucusq; ita te tenet, vt nusquam auso fueris, & nunc non audeas, illam contemnerẽ, cùm inquam vocabaris, tibiñe Theologiæ finis, tibiñe tum cordi gradus fuit? Fortè si finires Theologiam, ab alijs suis benedictionibus semoueret te Deus, nec ita Deus operâ tuâ vteretur; cur non stas eius sanctis dispositionibus? De S. Martino dicit Ecclesia, quòd Martyrium quidem non subierit, Martyrij tamen præ-

præmium habuerit; faciet & te Deus Theologum in cælo, Graduatum in cælo, quoad præmium, pro hac etiam molestia patiendi. 99

Quòd si aliter de te diuina prouidentia disposuit, Resolue te ad alias Cruces, quas fortè tibi parat bonitas diuina, acerbiores, quàm fuisset tibi avulsio à studijs, vel denegatio Gradus. Resolue te, quòd omni hoc iure quod habes, velles vnique cedere, modò viuas contentus voluntate Dei disponentis, modò viuas tam præalto contentus instituto.

Et post hæc omnia, dispice, an non & tu, secundam hanc classẽ, licet non ex his, sed ex alijs tamen tibi notis rationibus, malè contentorum ingrediaris.

PUNCTUM III. Classis tertia germanorum filiorum Religionis, est constituta ex his, qui nunc actu fortassis, sanguinem suum fundunt pro fide Christi, vel proxime fufuri sunt, vel disponit eos admirabilis Deus in directione cordis, vt fundant. Cur non tu vnus ex illis? Constituta item ex illis, quibus occasiones occultas Martyrij parat Deus; quæ occasiones frequentiores, licet non ita oculos hominum intrantes; & interdum, præcellit magis, martyrisari in fama, & honore, præ martyrio in corpore. Si hoc martyrium & fers & appetis, es in bona classe. Est & alia classis, constituta ex illis, quorum vita, viua Regula, quorum vita, amare IESUM, & hunc, ô qualem? Crucifixum! stultificatum! constituta ex illis, qui omnes charitate & reuerentiâ præuenientes, parati sunt pro fratribus suis animam ponere. Constituta ex illis, quorum virtus incognita, nec approbationibus humanis nobilitata, & tamen vita & apex desideriorum, illis, est gloria Dei, animarum salus. Constituta ex illis, qui ita sibi connaturales Religionis Regulas esse putant, vt oppositum illis, sit amaritudo. Hi sunt, hi omninò sunt, qui se-

N2

quon-

100 quuntur IESUM iam in coelum eleuatum, & tamen crucem in visione S. Patris Ignatij portantem.

COLLOQUIUM. Pete à IESU Crucem portante, deponat illam, imponat tibi. Jura & statue, custodire iudicia iustitiæ Religionis. *Domine ego te rogo* (verba sunt Iulij Mancinelli.) *vt me acceptes pro seruo tuo.*



MEDI-

MEDITATIO

De Electione status in Religione, & tribus Humilitatis gradibus.

PRÆLUDIUM I. Statue tibi ob oculos S. Psalmistam, absorptum in Deo, diuinis illuminationibus irradiatum, diuinis affectionibus æstuantem, quem audi exclamationem: *Confitebor tibi in directione cordis.*

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo dirigente corda, dirigi specialiter cor tuum in hac meditatione, tanquam fundamentali, sequentis vitæ.

PUNCTUM I. Non est tibi de hoc deliberandum, nec materia tuæ electionis est, an debeas votis ligari? quia supponitur, ea te emisisse: nec huius datur amplius deliberatio; quia eorum quæ determinata sunt, & quidem irreuocabiliter (nisi reuocatione offendatur Deus) non datur deliberatio. Superest tantum alia deliberatio, alia electio status, & quidem intra ipsam Religionem. Profert ergo in medium hunc statum.

Sunt aliqui in Religione viri, conformiter ad ætatem, statum, aliasque circumstantias venerabiles, & tamen sunt communis locus irrisionum, despectuum, fugillationum. Demus esse talentatos, instructos à doctrina, labore, fortuna, æstimatione. Hos & tales, quid magnum esset Deo, formanti vasa in honorem, proponere spectabiliores? & tamen consepulti & derelicti iacent. Multi, illis, longè minores, excellunt, attolluntur, applicantur; illi soli, opprobrium & abiectio plebis. Quidquid aggrediuntur, quod posset illis auctoritatem conciliare, successum non habet: sed ea

102 quæ pudori illorum seruiunt, hæc frequentia occurrunt; licet sint boni in conscientia, boni ex obiecto, sed facti à Deo, signum, cui contradicatur. Sunt alij mediocres virtute, doctrinâ, talentis, meritis, quibus, quis non plaudit! illi promouentur, officijs destinantur, in quibus etiam exerrantes, benè audiunt, excusantur, magni fiunt; omnes illorum amicitiam & beneuolentiam quærunt: & si vt homines delinquant, censentur hoc facere, ex altioribus principijs. Illi per officia, per occupatas laudes, diuinâ ita illos ducente, & volente illos hoc modo saluare, prouidentia, progrediuntur, durant, eoq; in statu, etiam exspirant. Erit ergo tua deliberatio, quem statum ex his duobus saluâ obedientiâ eligas?

Est vnus Professor, attollitur etiam supra Collegas: sed alter melior illo, contemptibilis tamen, quia ad gratias humanas infelix. Est hic Concionator in suprema cathedra, & alius in despicibili, zelosior, solidior illo. Alter cum disgustu etiam subditorum, supplet in superioratu, alius cum plausu, quorundam (licet ordinariè non communitatis, quæ, de rebus, fidelius iudicat) sibi similibus, magnus superior audit. Est hic operarius assiduus, zelosus, pauperum & derelictarum, animarum amans, audit tamen otiosus, inutilis persona: alter, sub specte laboris, commoditates suas quærrens, ad oculum assiduus, & oblati eleemosynulis im. perfectiones suas pallians, nullas animas quærrens, nisi suo honori, emolumento, commodas; & tamen audit bonus, dignus quem domus Religiosæ expetant, & à multis superioribus, huc & illuc, inuitatur. Est alius in re ipsa discolor, & in conspectu Dei vituperabilis, amatur tamen, adhibetur; alter in conspectu Dei Sanctus, nec tamen illi fidit Religio, defertur, censuratur, punitur, deniq; præsumitur materialiter in Religione perseuerans.

Distri-

Distribue sic alias occupationes. Elige ergo, quam 103
velis Classem, hancne despicabilem, an illam excellentem? Pete à Domino gratiam, probæ electionis. Pete à Sancto tuo Fundatore, inspirari tibi spiritum in hac electione, non quòd sit in tua potestate, alterutrum in executionem reducere, quia hæc pendent à Dei dispositionibus, sed vt te resoluas, ad meritum ante Deum, quietemq; , si tibi, deteriorem partem destinet Deus.

PUNCTUM II. Adduc tibi præculos vocationis tuæ finem, hoc est, vt cum laude Dei maiori saluus fias. Maior ne laus Dei tui exinanitio, quàm eleuatio? securiusne saluaberis viâ Crucis & humiliationis, quàm viâ plausus & successuum? Quousq; hæc magna mundi huius Religiosi durabunt? Magna autem interioris hominis, & talis status humilis perpeffio, æternam meretur retributionem. Accende me Domine mi, vt discam esse humilis, & mitis corde, vt discam esse opprobrium, etiam fratrum meorum, & abiectio, etiam secularium, in quantum, vtrumq; hoc, non officiet gloriæ Dei, & animarum bono. Pro illis, quæ magna Mundus religiosus reputat, quid me incitare potest, si velim seponere omnem naturæ appetitum? nihil Domine mi, nihil! Quis vnquam doluit, quòd abiectus in Religione vixerit? ij qui despicabiliores vivunt, confidentius vivunt, quia non habent quò cadant, & quod illis alij inuideant, vel quod sibi alij ab ijs timeant. Da mihi Domine donum orationis, vt & talem statum mihi impetrem, & gratiam simul in illo fructuosè, & gloriæ tuæ impendiosè, vsq; ad mortem perseuerandi.

Et hîc insuper occurrit argumentum, ex tertio humilitatis modo. Etiam si laus Dei par foret, in tui exaltatione & depressione, ad maiorem tamen imitationem Christi, elige potius amplecti cum illo paupere, spreto, illuso, pauperiora; elige etiam necessariorum re-
rum

104 rum subtractionem. à superioribus, præ prouisione illorum: elige contemptum quoad officia, & loca, & insipientiæ titulum., præ omnibus, quæ cæteroqui ad plausum prodesse deberent.

PUNCTUM III. Dum consideras, te aliquando ad electionem huius humilis statûs à Deo duci, protestare coram illo, quòd solius illius amore & intuitu, hoc, quidquid istius affectionis est, habeas; sed insuper discurre: si diceret tibi Deus, veniet ad te quidam, petet consilium spirituale, respondebis mihi de anima illius, si illi securius, & gloriæ meæ congruentius, consilium non dederis; veniat ille, sit vnus ex Religione tua, petatque, an debeat, optare potiùs contemptus viuere, quàm audire Magnus vir, grauis Pater? nonne tu illi dices: Melior via Crucis, hac Christus iuit: Cur ipse hoc consilium non sequeris?

Hodie sit tibi moriendum, vellesne plausum, an contemptum? & vniuersaliter, ad hoc solum omnes plausus sunt boni, vt contemnatur, quòd si ne quidem quod contempnas habes, inimicum tibi Deus subtrahit, ne cum illo depugnes. Quorum plures gloriosius saluantur, eorumne, quos delectat religiosus factus & mundus, cæteroqui conscientia non contrarius, an eorum, quibus non erat dignus mundus hic religiosus?

COLLOQUIUM. Cum Christo Crucem portante, desumptum ex Meditatione de Regno Christi. *En ô Rex supreme* (quem solû Regem, excluso Principe tenebrarum, vult supra se regnare, ordo meus) *ac Domine vniuersorum* (qui de fama & infamia, honore & contemptu, exaltatione & depressione tuorum seruorum, liberè disponis) *tuâ ego, licet indignissimus, fretus tamen gratiâ & ope,* (tuâ, hoc est, in indiuiduo, per Crucis dolores emptâ gratiâ, fretus, licet indignissimus, hoc etiam indignus, vt indignitates religiosæ, mea sint vita, meum bonum,

mea

105 mea hereditas) *me tibi penitus offero, meaq; omnia, tuæ subicio voluntati.* Da mihi Domine hodie liberam mei de me dispositionem, projicio eam à me; à te, resignatam mihi, tibi iteratò resigno; & in mei possessionem, iusq; de me disponendi, reuuestio Te. *Attestans coram infinita bonitate tua, nec non in conspectu gloriosæ Virginis Matris tuæ; totiusq; Curia cælestis.* (ideo hæc Domine testimonia adhibeo, vt vel tantorum reuerentiâ testium, pudeat me mentiri tibi, retrocedere à verbo meo.) *hunc esse animum meum* (quem firmo, pretio expirantis animæ tuæ) *hoc desiderium* (quod stabilio siti tuâ quam habuisti animarum boni) *hoc certissimum decretum* (cui pondus addo, illâ tuâ resignatione: Non mea sed tua voluntas fiat) *vt dummodo in maiorem laudis tuæ* (quam solam opto) *& obsequij mei proventum cedat, quàm possim maximè, te sequar & imiter, in ferendis iniurijs & aduersis omnibus* (nullâ aduersitate, nec magnâ nec parua, nec leui nec insupportabili, exceptâ) *cum vera, tum Spiritus* (hoc est vt puter pauper in bonis animæ, vt sim pauper in æstimatione hominum, pauper in honore, deniq; vt puter pauper in bonis virtutis, quantumuis me, vt opto, ad altissimum illius gradum eleuares.) *Tum etiam rerum paupertate* (vt mihi non tantum desint superflua, desint communi religiosæ commoditati seruentia, sed etiam planè omninò necessaria, idq; statim, nunc) *si Sanctissima tuæ maiestati placeat* (placeat autem per miserationes Dei, per sanguinem Iesu Christi) *ad tale me vitæ institutum,* (ita intra Religionem contemptorum) *eligere atq; recipere.*





MEDITATIO

De vita pacata in Religione instituenda.

Finis huius meditationis est, persuadere sibi illud, quod Sanctus Pater, titulo: De emendatione, immediate ante tertiam Hebdomadam, ponit: *Hoc enim unusquisque, persuasum habeat, tantum se in studijs spiritualibus profecturum esse, quantum ab amore sui ipsius & commodi proprij affectione, se abstraxerit.*

PRÆLVDIVM I. Imaginare Christum dicentem: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.*

PRÆLVDIVM II. Interrogabis Christum, an te in hac pacis donatione incluserit? si non exclusit, ut non exclusit, pete ab illo, conformiter ad illius dicta, vitam pacatam.

PUNCTUM I. Nullo modo est mentis Dei turbulenta vita; turbulencias, nostræ naturæ motus causant. Quæ grauior turbationis causa, quam amissio vitæ, idque in circumstantijs insultationis inimicorum, in circumstantijs existimatæ ab omnibus derelictionis à Deo, adeoque securitæ damnationis ad omnes quodammodo publicandæ? & tamen exclamat Iob: *Etiam si me occideris, tamen in te sperabo.* Cogita ergo an non iustum sit, ut etiam tu vitam pacatam in Religione ducas. Dicit Thomas de Kempis lib. I. c. 17. *Oportet inquit quod discas te ipsum in multis frangere, si vis pacem & concordiam cum alijs tenere.* Quid ad hoc punctum, quid deest tuæ cum alijs concordie? quia te in multis non fregisti! Reflecte te supra gestus ipsos tuos, supra linguæ usum: ô

quàm

quàm in multis te non fregisti? *Non est paruum in Monasterijs vel in Congregationibus habitare, & tibi sine querela conuersari.* Fac examen particulare, circa omnes cum quibus conuersaris, estne verum, quod sine querela cum illis conuerseris? & tamen Thomas de Kempis quia te non nouerat, spiritu tamen Dei afflatus, exclamauit: *Beatus qui ibidem bene vixit, & feliciter consummavit.* Benène tu hîc viuis? non benè? nec benè consummabis: fortè nec consummabis! Visne horum remedium?

Cogita hæc omnia aduersa non diu duratura, iam iam te peruenturum ad Patriam coeli; quid sollicitaris de terrenis? *Si vis debite stare, & proficere, teneas te tanquam exulem & peregrinum super terram,* inquit idem. Et quia ordinariè mouet nos appetitus apparendi, in his, quæ doctrinam, & sufficietem rerum notitiam, concernunt, quo in puncto ordinariè intangibiles sumus; hinc addit ille: *Oportet te stultum fieri propter Christum, si vis religiosam ducere vitam.* Stultus non timet, ne putetur stultus, cum stultus est; tuñe non times ne indoctus, iniustus habitus? resolu te ad hoc, pacatè viues; & Christus toties stultus reputatus, communicabit tibi altius sapientiam suam, visione beatâ.

En alia principia: *Qui aliud querit, quàm purè Deum, & animæ suæ salutem, non inueniet, nisi tribulationem & dolorem.* Examina hîc conuersationes tuas, labores, intenta: purène in illis quæris Deum? & quia, non semper saltem, purè, inuenies tribulationem & dolorem. Quare te non sepelis in Religione ex amore Dei? quare amore Dei non sis mancipium reliquorum? *Non potest enim diu stare pacificus,* inquit ille, *qui non nititur esse minimus, & omnibus subiectus.* Concludit idem: *Hic nemo potest stare, nisi, ex toto corde, se voluerit propter Deum humiliare.* Duo non nisi fac, ex toto corde; per respectum ad Deum:

108 um: Ama illum ex toto corde; per respectum ad te, & proximum: Humilia te ex toto corde; & Deus cordis tui, dabit terræ, quæ tu es, pacem, tanquam homini bonæ voluntatis.

PUNCTUM II. Ordinaria origo & fons non pacatæ vitæ in Religione: Querelæ; minorauit me in fama, officio, honore. Sed si hæc omnia, in te minorata ab alijs, vellet Deus, priuatâ ad te directâ reuelatione, sibi donari: cur non donares? & tamen dicit Deus, non priuatâ, sed publicâ reuelatione, de donandis iniurijs, de oblatione sui ad maiores, de appetitu minorationis inter omnes. Qui vult esse maior, fiat tanquam minimus, inquit scriptura. Id à te deposcit Deus, cur hoc illi non donas?

Rursus, quid tibi gustus præsentis, in tua fama? & si compares præsentem amaritudinem, quam habes, in vita non pacata, multò hæc maior. Cur ergo maiori incommodo, minus bonum emes? Hoc sit actus prudentiæ tuæ, ita cum alijs agere, vt non possint, etiam si velint, tibi contumeliam irrogare: & cum iam vides talia tecum inchoari, hoc sit iudicij signum, præuertere hæc aduersa; præuertes autem hæc aduersa, si illâ re, in qua te putat alius à se affligendum, sponte illi, intus ob Dei amorem, foris, ex apparentibus causis, cedas.

Cur appetis maiorem habere famam, quàm Deus velit te illam habere? nonnisi autem tantillulam vult te habere, si ad illam reducere te non potes, nisi per impatientias, defectus, amaritudines. Cur non proiecisti in Deum? qui nouit talia rependere, recompensare; duplicare, centuplicare famam, alijs, magis commodis occasionibus.

Reflecte te, in quonam in posterum indigeas bonâ famâ, successu. Offer hoc diuinæ bonitati, in quo nunc minoratus es; vt ita, in alia occasione, benedictionem

Dei

Dei impetres; impetrabis: fructum tuum pacatæ vitæ 109 habebis; non impetrabis? signum erit, quòd id de toto, nonnisi in cælo, adeoq; meliori longè bono, præmiare velit Deus.

Nonne & tu interdum, volens aut nolens, es grauis alijs, vt hic vel ille tibi? fer illum patienter, & Deus faciet, vt etiam tibi suo tempore cedatur; præuidendo, quòd nisi tibi cederetur, prorumperes in notabilem, aliquem defectum.

Nonne tu appeteres, (si tibi Deus daret hanc gratiam) fieri Martyr? ostende in hoc prius, quòd minus est, fortitudinem tuam; sustine aduersa, vt hanc gratiam Dei merearis.

Parum est Deo, si immoles illi fæces corporis tui, maiorem oblationem exigit, honoris, famæ; per quòd ipsum te honorat, dum maiori tuo bono, hoc est tuâ immolatâ famâ, ad placitum & gustum suum, vult vt. Contenta ergo & satia Dei gustum, hoc holocausto famæ, honorisq; tui.

PUNCTUM III. Est & aliud fundamentum, non ducendæ pacatæ vitæ: dissidium cum superioribus. Vel vis regi principijs politicis, vel spiritualibus; si politicis, cur ijs non te submittis, nec gratum te facis, quibus esse ingratum, prima amaritudinum causa? quis contra superiores lucratur causam? Errauerit licet superior: Magistratus tamen per Aristotelem non est reperiendus. Si autem te regis principijs spiritualibus, potestne Filius Patri, subditus Domino, vicario Christi, irasci & obistere?

Cur hæc tibi omnia accidunt? fuissesne tu illius subditus si te amor Dei ad Religionem non pertraxisset? ostende ergo, quòd ex amore eiusdem Domini, illum feras, vt ipsa tua moderatio animi, sit signum, quia id amore Dei fecisti. Dic amore Dei: *Vt iumentum factus sum apud te.*

O 3

Ipsa

110 Ipsa sollicitudo temporalium, nonne te componere debet ad gratitudinem? Comedis, bibis, vestiris, de nulla re sollicitus; quia est alius, qui facit, per se, vel per sibi subordinatos, te omnia hæc habere.

Gravis est superior tibi, tu illi grauior; si tu libenter ab illo fruere pace, & ille à te. Puniet te fortè Deus, vt alios etiam postea regas, dabitq; tibi subditos deteriores te, licet & tu, te ipso conscio, sis insigniter malus; aut ordinabit tibi acriores superiores, (nec enim deest illorum inuentio sapientie diuinæ, pænis suis volenti mortificare) vt discas gemuisse te sub pilo, postea gemes sub pondo.

Sed media huius pacis cum superioribus querenda. Contentus sis, quæ tibi à superioribus prouidentur, & puta, te, his etiam indignum; totamq; felicitatem & satisfactionem, ad alteram vitam relega, inueniesq; requiem.

Noli illis obloqui, sugillare facta, improbare, taxare, eleuare modum agendi, idq; adhuc in præsentia aliorum, quod peccatum auersionis subditorum à superiore sapit, sedabitq; in te tempestas.

Noli evincere tuum, contra superioris sensum, voluntatem, prohibitionem; & non habebis cum superiore tricas.

Noli tam multis misceri, teneat te cubiculum tuum, occupatio tua; conuersationes tuas, aut extinguas, aut ad tempus suspende; repeteq; tibi amator tui cubiculi, verba Iob: *In nidulo meo moriar*; visitabitq; te Dominus Iesus, vt pote facile reperibilem, quia iam in cubiculo sedentem, cum bona pace. Ora Deum, vt det omnibus nobis pacatam vitam; fac serium propositum, quodcumq; potius malum dissimulandi, quam eius non dissimulatione, amittendi pacatam vitam.

COLLOQUIUM, Cum Christo docente, consentiendum

endum esse aduersario in via, quantumvis angariauerit, vt pallium illi tradas: cum Christo item docente: *Vt si quis te percusserit, præbeas & aliam maxillam.* Ab illo hæc docente, petas gratiam, pacatè in posterum, instituendæ vitæ.

MEDITATIO DE PAUPER TATE,

Oratio præparatoria solita.

PRÆLVDIVM I. Imaginare, quòd stes in prospectu Cælestis Ciuitatis, ad quam inter alias, est porta, cui inscripum: *Beati pauperes Spiritu.*

PRÆLUDIUM II. Pete à Domino vitam, cui in præmium aperiatur hæc porta.

PUNCTUM I. Cogita de motiuis seruandæ paupertatis.

1. Deus, Beatitudo, est illa gemma, quam sic acquiri docuit Christus: *Dedit omnia sua & comparauit eam,* taxa ergo illius emendæ, est: *dedit omnia.* Si tibi adhuc, quod tuum est, quod proprium, reseruas, non dedisti omnia, Deum non emisti; iam dedisti & illud, & illud, si necdum aliquid dedisti, necdum Deum, gemmam hanc pretiosam, emisti. putasne quia non est pretiosior Deus, vt propter illum possidendum, illud adhuc retentum expendas? Expende ergo illud liberaliter.

2. Motium, Exemplum Domini Iesu nati in stabulo, mortui in cruce, Christus pauper, tuhè diues esse voles! Christus omnibus in commoditatibus pressus, cur tibi adhuc commoda sapiunt? Nolo Domine, sub spinoso capite, esse membrum delicatum.

3. Moti-

3. Motium. Ex vocatione Dei, & Sanctæ tuæ voluntatis electione, factus es mortuus seculo, viuis Christo; & quid refert, bonamne an malam vestem habeat mortuus, pulchrone an infirmi habitet in sepulchro? eligithne & secernit res victus? Facias te ita mortuum, & viuificabit te Christus.

PUNCTUM II. Examina conscientiam tuam, de peccatis contra hoc votum commissis, & primum attende ad hoc, quod tibi, primum etiam, suggeret conscientia.

Rursus attende ad minutias dandi & accipiendi, quam in his laxus fueris? & tamen quo casu peccat mortaliter secularis, accipiendo, per partes, & minutias, venientes vsq; ad materiam grauem, eo casu per proportionem, peccat etiam mortaliter Religiosus; accipiendo & dando minutias sine facultate: tunc scilicet, quando venit ad materiam grauem; venit autem ad Materiam grauem, quando est vnitas actus moralis in illo dando & accipiendo; est autem vnitas, quando homo vult ita tractim & continuatim agere. Quanta autem mi Religiose in te impunitas, dandarum & accipiendarum minutiarum, sine facultate? & quidem eò id foret deterius, si ita iam occaluit tua conscientia, vt ne remorsum quidem in hoc habeas?

Rursus cogita, an non interdum plura exigas à Religione, quam haberes secularis? Deniq; persuade tibi diligenter, non esse hoc paupertatem seruare, si non exigas quidem speciosa, non exigas superflua, velis tamen, esse tibi, in omnibus tuis necessitatibus, satisfactum. Discute in his conscientiam tuam.

PUNCTUM III. Examina tuam conscientiam circa modum facultatum petendarum: habesne adhuc aliquid, pro quo non petijsti facultatem. 2. petijstine facultatem, sed subdolè & per partes? 3. Petijsti, sed in mo-

in modo petendi, eratne resignatio? politicissimum aliquem non adhibuistine? & verè affectu pauperis illam ipsam facultatem emendicasti?

COLLOQUIUM. Imaginare S. Religionis tuæ Fundatorem, pro potestate sua, tanquam Generalem, visitare tuum cubiculum, visitare scriniolum, reclusas deuotionis, prouisiunculas quas fecisti. Pete pro istis ab illo facultatem; et si conscientia dictabit, non dari pro his à S. hoc Generali facultatem: vt quid tibi blandieris? distinguet optimè S. Fundator, non hoc ipso, quia datur facultas pro pecunia, dari facultatem pro ea seruanda, vel ad quoscunq; vsus expendenda. Pete ergo vt S. Fundator tibi parcat. Inquiret ex te, quare nimius clauis vsus? vel si res claudenda cum facultate, superior estne conscius clauis? In his & alijs similibus, manifestationem conscientia Visitatori huic, & simul Parenti tuo, & quæ ille, per conscientiam tuam, corrigenda ordinauerit, eadem corrige.

MEDITATIO

De Perfectione Paupertatis.

PRÆLVDIA, Eadem quæ supra.

PUNCTUM I. Secundum proportionem, ad eam, quæ dicit S. Pater Ignatius, de tribus humilitatis gradibus, possumus formare nobis gradus perfectionis in Paupertate. 1. est, vt nullam rem velimus, possideamus, quâ volitâ vel possessâ, peccaremus mortaliter vel venialiter. Discute conscientiam, circa veniales culpas in materia Paupertatis.

2. Gradus, vt non simus affecti magis rerum affluentia, quam earum defectui, non minus nos contentent commoda victus, vestitus, habitationis, prouisiuncularum,

114 larum, sub prætextu pietatis, vel venturæ necessitatis, quàm contentet defectus in istis omnibus. Sed, ô quis nostrum talis, cui pauperies & defectus, æque arrideant, ac Religiosa commoditas, & indigentiarum leuamen? Multum ergo teste nostrâ conscientia, à perfectione hac, absumus.

3. Gradus. Etiam si non tantum bonâ conscientia, sed etiam cum æquali merito, habendæ essent commoditatis & satisfactiunculæ Religiosæ, atq; si careremus his omnibus, eniti tamen deberemus, ut potius indigentias, pauperiem, incommoda, patiamur. Quo titulo? Non hoc, quia Deus permittit & ordinat. Non hoc, quia est coaditio vitæ mortalis miseræ, ut patiatur vel interdum miserias. Non hoc titulo, quia non est Religionis usus, vel quia hoc in Religione meriti non sumus. Sed hanc pauperiem, debemus eo titulo optare: quia Dominus noster depauperatus vixit, & nudus in cruce mortuus est. O paupertatis exemplum in Cruce fixum! transfige medullas animæ meæ, amandæ paupertatis celo, ut in acerbitate pauperiei, dulcedo sit mea, hocq; quàm maximè abundem, quod nullo abundem.

PUNCTUM II. Colloca te ante Imaginem Christi Crucifixi, & quod olim fiebat ad pedes Apostolicos, quodq; in Religionibus aliquibus nouitij facere consueuere, ad pedes eius, deponere quæcunq; habes, habere potuisses. Et primùm porta pauperculam tuam domunculam, bonula quæ habuisti, repone illa ad pedes Crucifixi. Iam literis & iudicio instructior, spes quæ te probabiliter mansissent in seculo, etiam has spes, titulos, & forte honores, repone ad pedes eiusdem. Circumspice omne illud quod Deo annumerauit Christiana liberalitas, quod impendit suis idolis fastus Ethnicus, depura, quidquid hinc mali, & residuum, contra-

das

das Domino tuo. O quantum adhuc in mundo diuitiarum residet? quot gemmæ suis clauduntur conchis, adamantes venis, aurum & argentum lacunis? Erue hæc, & subde Crucifixo Domino: ut iam mundus, nihil suum habeat, nihil suum possideat, sed totum, ut reuera est, Christi Crucifixi sit; idq; te inscribente, donante. In particulari defectus victus, immola ei, felle & aceto potato; defectus in vestitu, offer illi denudato; defectus habitandi, cubandi, illi suffixo in Cruce.

PUNCTUM III. Statue te ante Ss. Trinitatem, quæ omnia externa bona & diuitias, nihili ducit, omnes enim Dei diuitiæ, ipsa Deitas est. Ex imitatione huius Sancti Attributi, contemne omnia terrena. Omnes tuæ diuitiæ, Deus sit. Ita planè Domine mi, ex corde dico, ita planè: Tu solus, mihi, omnes diuitiæ es. Vnam ego gemmam amo: quam? te Iesu! qui es gemma pretiosa. Omne aurum ego transmuto, in aurum meum, Virginem Beatissimam, quæ appellatur Dominus aurea.

COLLOQUIUM. Imaginare ex vna parte, mundum cum omnibus suis diuitijs, & affluentijs; ex altera parte S. Paulum exclamantem: *Omnia arbitratus sum ut stercora.* Acclama idem cum S. Paulo. Et quia præter hæc quæ voto paupertatis Domino tuo obtulisti, est adhuc, affluentia & bonum famæ, bonum honoris; etiam his te exue, & appende tanquam Sacrum anathema, ad clauum pedum Domini; ut iam vitas, pauper honore, & famâ. Residua tibi adhuc duo sunt: Corpus & Anima, quæ quidem iam multis titulis CHRISTO & MARIÆ debentur. Partire tamen illa, ita; dona Beatissimæ Corpus, Christo animam tuam, ut impleas, & iussè dicas: Hæc ego reliqui omnia propter te, quid ergo dabis mihi? Te ipsum Domine.

Pz

MEDI-



MEDITATIO DE CASTITATE, Oratio Præparatoria

PRÆLVDIVM I. Imaginare, quòd penes te, stet Angelus Custos, hoc est, exemplar tuæ Castitatis.

PRÆLVDIVM II. Pete ab illo, vt tibi impetret illustrationes & affectiones pias, ad amorem Castitatis, in te excitandum.

PUNCTUM I. De motiuis quæ habere potes, ad seruandam Castitatem.

1. Quia inualuit peccatum contra hanc virtutem, in toto mundo; & tamen ad hoc profligandum peccatum, mortuus est Filius Dei. Sit ergo in te fructus passionis Domini, integritas Castitatis.

2. Vel peccaueras in hac materia in seculo, vel non? Si peccaueras: quando erit finis turpitudinis tuæ? si non peccaueras, cur locus sanctitatis, factus est tibi locus delinquendi?

3. Est hæc specialis quædam Religionis virtus. Non patitur hæc bonæ istius famæ detrimentum Religio, idq; in conspectu Dei, per tuam vitam?

4. Quia habemus regulas, Constitutiones, Monita Patrum spiritualium, Exempla Maiorum; vt enitatur omnes, ad Angelicam Castitatem. En stat penes te tuus Angelus Custos, duc parallelam tuæ Castitatis, ad Castitatem illius.

5. Est speciale priuilegium Virginitatis, sequi Christum, speciali quodam in celo comitatu. Exardesce ergo, vt cantes canticum, quod nemo cantat, nisi Vir-

go.

go. Accendere, vt non tantum eò eas, quòd tibi Christus condescendit, sed vt eas, quocunq; ille iuerit.

PUNCTUM II. Discute tuam Conscientiam, de peccatis, contra hoc votum commissis præcipue ab vltima Confessione v. g. Annua.

1. Minusne, non dico mortalium, (quia peccatum mortale, in Religione monstrum est!) sed venialium, in hac materia commisit?

2. Non indigestne animosiori confessione?

3. Estne modo mundior, etiam a subreptiis delictatiunculis?

4. Suntne tibi mundiora, quàm antè, somnia? quia etiam hæc sunt signa firmitatis virtutis.

5. Transitne tibi in horrorem, omne illud, quod, etiam inuoluntarie, quod, etiam inaduertenter, occurrit?

PUNCTUM III. Examina, quæ remedia adhibuisti, idq; tam orandi, quàm te mortificandi corporaliter, vt Angelicam imiteris castitatem?

2. Quid remedij tibi in posterum adhibendum foret?

3. Elige tibi particulares Patronos, statueq; illis certum deuotionis pensum, quod illis exoluas, per tempus, intercipiendum, inter hanc & aliam, quæ Deo adiuuante, sequetur, renouationem spiritus.

COLLOQUIUM. Imprimis cum Attributo Diuino, quod est eius Puritas, coram quo confundere, & dolere, de omnibus impuritatibus tuis. Simile institue cum Christo Crucifixo, cuius sanguis, est extinctiuus suggestionum carnis & Diaboli. Balnea te, mente, in hoc sanguine, & iterum rebalnea; repeteq; id frequenter, donec fiduciã quãdam implearis, extinguendas in te suggestiones Diaboli. Conuerte te & ad Beatissimam, tanquam ad Virginem Virginum, peteq; vt sit & Virgo tuas; erit, si tu vicissim illi, Virgo eris, tunc enim primum erit Virgo Virginis, Virgo Virginum. Conuerte

P3

te ad

118 te ad Angelum custodem, & ubi tibi reuocaueris in mentem illam historiam, Angeli, obturantis sibi nares, ad occursum hominis carnalis, deprecare Angelum, quod illi fæteas putoribus Conscientiæ tuæ; petesq; ab illo, vt pro dono Castitatis tibi impetrando, supplicet Beatissimæ, tanquam Virgini Virginum. A Virgine Virginum pete, vt pro te oret Christum Crucifixum, vt diluat & extinguat sanguine suo, quidquid in te vitiosum. A Christo Crucifixo emendica, vt merita sua, & se, offerat Deo, secundum quod Puritas est, vt te Deus Puritas, emundet ab omni delicto, Amen.



ME-

MEDITATIO

De perfectione Castitatis.

PRÆLVDIA, Eadem quæ supra.

PUNCTUM I. De perfectione Castitatis, proportionaliter cogitandum, ac de tribus Humilitatis Gradibus.

1. Ergo gradus erit, nullum (Deus auertat) mortale, sed nec veniale, in hac materia committere, & habere affectum & voluntatem, non dico extorquendam per nouas deliberationes, & motiua de nouo penetranda, sed expeditam, non tantum remotè, sed & proximè, non tantum vt plurimum, sed semper, abhorrendi multum, etiam à minima turpitudinis suspicione.

2. Etiam quoad interiorem partem, non habere plus gustus sensibilis, in turpibus, quàm in istis quæ Castitatis sunt.

3. Si hodie votis soluereris, si hodie non foret (quod impossibile) peccatum, ita delinquere, ex amore Christi Virginis, deberes velle Castitatem seruare. Excita te ad hos perfectionis gradus. Examina quàm longè ab illis absis. Cura vt persentiscas hunc Castitatis amorem.

PUNCTUM 2. Perfecta Castitas, etiam indeliberatè, etiam in somnis, non succumbit in rebus Castitatis. Tuñe talis? Talis Xauerius, sanguinem stillans in somnis, ex repugnantia turpibus, & vehementia detestationis illorum, etiam in somnis! Index nempe radicatz virtutis, est ipse somnus. Protestare, si hodie licitum esset, Venenum sumere; velles sumptum, ne vnquam tibi contingat, vel leuissimè Dominum etiam in hoc genere

120 nere offendere. Protestare, quòd si licitum esset, velles te igne præfocare. Protestare quòd velles te hodie annihilare, ad tuendam tuam Castitatem, & quod maius bonum est, Virginitatem.

PUNCTUM III. Perfecta Castitas, etiam minimum sensum in rebus turpibus præfocat, facit ita vivere corpus, ac si esset lapis insensibilis ad turpia, facit eadem Castitas, nihil intelligere de rebus turpibus, & exanimari, si audire cogatur, paulò sædiora, quali Castitate ornata fuit tenella ætas Beati Stanislai. Pondera, quàm longè absis, à perfectione Castitatis. Indue animum perficiendi te, in hac virtute.

COLLOQUIUM. Imaginare, quòd videas Agnum Cælestem, mouentem se ad illam processionem, quam facit stipatus Virginibus. Permittitne tua conscientia, vt sequaris illum: & quia acutior est Sanctorum oculus, permitterentne illi, vt illis te associes? permitterentne oculus Christi, qui acutissimus, vt censum huius Processionis impleas? Gaude si talis es. Pete, vt te talem Dominus in agoniam vsq; seruet. Si talis non es, cogita vt sis; cogita vt aliarum virtutum apparatus, facias ruinas tuas.



MEDI-

MEDITATIO DE OBEDIENTIA.

Oratio præparatoria solita.

PRÆLVDIVM I. Cogita ab Angelo Custode offerri tibi Epistolam S. Patris Ignatij manu scriptam, illam ipsam, quam de obedientia S. Pater consignauit.

PRÆLVDIVM II. Pete vt hanc Epistolam, intelligas, & ad eam exequendam accendaris, adeoq; vt proficias in Obedientiæ virtute.

PUNCTUM I. De motiuis ad seruandum votum obedientiæ.

1. Motiuum est, ex speciali omnium Religionum ad hanc virtutem inclinatione. Quis ordo, ei qui Nouitiatum ingreditur, non dicit? Faciendum esse quod iubetur, tolerandum quod occurrit. Sanctus Benedictus in formula Professionis ponit solum votum obedientiæ, secundum regulam. S. Pater Ignatius de illa scripsit doctam & Spiritu plenam Epistolam. Si S. Benedictus in commendationem huius virtutis, donaret tibi formulam Professionis suâ manu conscripam, si Epistolam de Obedientia à S. Patre Ignatio scriptam offerret tibi Angelus: ô quam accendereris ad Obedientiæ virtutem! & cur te ad illam, tua regula, tuum votum non accendit?

Motiuum 2. est. Nescit vitæ Spiritualis difficilia, qui non nouit, quàm sit difficile, peruestigare voluntatem Dei, quantusq; sit labor, nosse: Hoc Deus, hîc & nunc vult. Amolieris omnem à te hanc difficultatem, si tibi cordi fuerit, ad solum exercere, quod obedientia

tia

122 tia vult; siue illa sit obedientia superiori, siue Regulæ, debita.

Motivum 3. Mirabile est illud Sancti Pauli dictum. *Factus est obediens usq; ad mortem.* Non exprimitur, quod fuerit amator Dei, amator gloriæ ipsius, amator animarum nostrarum, usq; ad mortem; sed quod fuerit obediens, usq; ad mortem. Vouisti obedientiam, vouisti, esse imitator, obediens usq; ad mortem; in hoc habitationis loco, in huius loci occupatione, in huius occupationis difficultate, consumis vitam: respice, Obedientem usq; ad mortem. Per hanc Domini tui usque ad mortem obedientiam, precare tibi gratiam in obedientia viuendi, ex obedientia moriendi; pudeat te tuarum virium, tuæ Sanitatis, nondum in obedientia consumptæ, cum contempleris Dominum tuum, factum Obedientem, usq; ad mortem.

PUNCTUM II. Examina conscientiam tuam, de peccatis, ab vltima Confessione Annua, contra votum obedientiæ, commisisti.

1. Hanc ipsam designationem occupationis & loci, suscepisti ne hoc verè & de puratè animo, quia tibi obedientia id iniunxit?

2. Deinde, si vsus est superior, in aliquo, particulariter tuâ operâ, acceptasti ne hoc, & executus ne es, hoc titulo: Vt iumentum factus sum apud te!

3. Rursus, cogita varios ictus campanæ, quoties illis obaudiisti? Cogita Actiones a Religione præscriptas, leges statûs tui, quosque eis obsecundasti? Dole quàm feruentissime.

PUNCTUM III. Cogita, in quo te in posterum specialiter circa obedientiam corrigere velis?

1. Destina tibi actus, quos exerceas, dum occurret tibi superior, dum cubiculum illius transibis, vt ita affuescas, ad amorem, & reuerentiam superiorum.

2. Assi-

2. Assigna tibi actus, quos exercere debes, ad ictus 123 campanæ, & hoc enim signum magni Regis est.

3. Elige tibi Patronos, usq; ad futuram Renouationem, qui tibi suffragentur, vbi aliquid tibi specialius, à Superiore, iniungetur; & in honorem Sanctissimæ Trinitatis, IESU Crucifixi, & Beatissimæ, destina tibi numerum, quem implere debeas, specialius & heroicè obediendi.

COLLOQUIUM. Gratias age CHRISTO Crucifixo, quod amore tui, magis amauerit Obedientiam, quàm vitam suam. Quære ex Domino tuo, an te eius prouidentia numeret inter eos, qui in Religione obediunt, tam heroicè? usq; ad mortem? Complaceras tibi in Martyrio obedientiæ, & ad illud accendere. Martyr eris, cum ad mortem obediens eris.

MEDITATIO

De Perfectione Obedientiæ.

PRÆLVDIA, Quæ supra.

PUNCTUM I. Proportionatè ad gradus humilitatis, à S. Patre Ignatio descriptos, formari possunt gradus obedientiæ.

1. Gradus est. Nolle mortaliter, vel venialiter, peccare contra Obedientiam, quantumuis offerentur tibi bona totius mundi. O quàm longè absumus ab hac perfectione! non est nobis necesse offerre totum mundum, ob paruum commoditatulam, à tenore obedientiæ deficimus; non est nobis necesse offerri famam magnam, honorum cumulos, ob timorem parui detrimentuli infamæ, & interdum ob imaginarium, à solâ phantasia fabricatum honorem, excusationibus nostris, ab Obedientia nos suffuramur.

Q2

2. Gra-

124 2. Gradus, Æquè ad vilia ac honorata, & què ad com-
moda ac incommoda, & què ad numerosum domicili-
um, atq; ad Residentiam duorum: & què ad fundatum
benè, atq; ad id, cuius inopia, miseris & miserabiles
facit suas personas, & què inquam esse inclinatum, idq;
titulo Obedientiæ. Erit tu ita affectus? nonne tacito
tibi suggerit conscientia? hoc mihi esset graues; id non
sustinerem, cætera utcumq; acceptarem, sed id, vel il-
lud, qui ferrem?

3. Gradus. Amore facti obedientis vsq; ad mortem,
etiam si par esset Dei gloria, quando honorato, funge-
reris officio, atq; si per humilia ducaris, humilia potius
appetere. Videtne cor IESU cor tuum ita affectum?
Propone quòd velis sectari perfectiones has Obedien-
tiæ, viueresq; ad omnia resignatus; nec solo dempto,
ut tibi viliora appetas.

PUNCTUM 2. Ponit S. Pater in sua Epistola tres
gradus Obedientiæ.

1. Gradus obedientiæ est, Facere quòd iniungitur,
appellatq; S. Pater hunc gradum imperfectum. At mo-
do fortè iam audit bonus Pater, qui se non excusat Su-
periori, qui facit quòd illi iniungitur; & ob supinos te-
pores nostros, hoc nobis perfectio est, quòd Sancto Pa-
tri, imperfectio audit.

2. Gradus. Cum hilaritate, inclinatione, planèque
propensa voluntate, operari quòd iniungitur. Reuo-
ca tibi in memoriam, tuas reluctationes in obediendo,
quantum fel amaritudinis sentis, si tibi, quòd non arri-
det, iniungatur?

3. Gradus. Ut etiam intellectum nostrum submitta-
mus, idem planè de illo loco, officio, alijsq; iniungen-
dis, sentiendo, quòd sentit superior. Offer te Domino
tuo, etiam ad hos obedientiæ actus. Pete ne excedas
ex hac vita, quin heroicè, in aliqua insigni difficultate,
obe-

obedias: oraq; Dominum, ut tibi offerat occasiones. 125
Attende ad duo illa exempla, adducta à S. Patre Ignatio
in sua Epistola, unum, ut sis tanquam senis baculus,
qui se permittit baculo, & illac circumferri, per quòd desi-
gnatur, tuus per officia, occupationes alias & alias dis-
cursus. Visne ita te ab obedientia circumferri, & for-
tè etiam in lutum infamitatis infigi? 2dum Exemplum
est. Ut sis tanquam cadauer. Cadaueri, illius fama, illi-
us honor, illius commoditatulæ, ne quidem in appre-
hensione sunt: & tu per multas illationes, interpretati-
ones sinistrorum affectuum, conuitiaris, aut fortè in
proximo conuitiaberis, Superiorum de te Ordinatio-
nes. Pete per lignum Crucis, à suspenso in ligno, ut ti-
bi det gratiam, obediendi ad instar baculi illius à S. Pa-
tre descripti. Ora mortuum in Cruce, ut te faciat obe-
dientiæ cadauer.

PUNCTUM III. Cogita, infudisse tibi Dominum,
omnium Ecclesiæ Doctorum doctrinam, omnium in-
geniosorum ingenia, omnium concionatorum talenta,
omnes Administratorum Spirituum excellentias.
Subde hæc omnia, occultanda, demergenda, sepelien-
da, ab obedientia. Pone, si in hac occupatione perre-
xero, hoc loco mansero: vitam & vires consumam;
Resolue te ut consumas, idq; titulo obedientiæ. Po-
ne, quòd te obedientia vocet ad Hæreticos, ad Ethni-
cos, ad pericula captiuitatis: viuaciterq; mala & pres-
furas apprehende; & tamen, quia filius obedientiæ es,
resolue te ad hæc omnia.

COLLOQUIUM. Cura, ut aliquo tempore sub fi-
nem Meditationis, ad singula respicia corde dicas: Fa-
cte obediens vsq; ad mortem, fac me obedire vsq; ad
mortem. Ut impetres tibi gratiam moriendi, non ob
defectum virium, non ob fractum senium, non ob ca-
lorem natium, iam iam se se præfocantem; sed titulo,
quia facis, quòd Obedientia iniungit. Amen. ME.

MEDITATIO

De obseruantia disciplinæ Religiosæ.

PRÆLVDIUM I. Imaginare sedentem pro Tribunali Religionis tuæ Fundatorem, & Sanctos Generales in cœlo degentes, cum reuerentia Patri à filijs debita, reddentes rationem, & numerum ineuntes, Religiosorum, disciplinæ amantium, superuenire insuper præsentis Generalis Angelum Custodem, deferentem Sancto Religionis tuæ Fundatori, quinam illi sint in tota Religione, qui in hac Prouincia, qui in hoc domicilio, qui in hoc Curritorio, disciplinæ Religiosæ amantes.

PRÆLUDIUM II. Pete gratiam internoscendi, an tu hunc censum impleas? & si fortè sub dubio sis præsentatus, quòd sis è disciplinatis Religiosis, cogita, an te inter tales velit acceptare Sanctus Pater, an potius repudiare? Quæ ipsa præludia, sufficere possent, non ad ingressum ad meditationem, sed pro tota hora, plus dico, pro triduo: parum, pro horis requisitis, vt te proximè pares ad mortem, & reputes annos tuos, in amaritudine animæ tuæ.

PUNCTUM I. Quæ possunt esse motiua ad disciplinæ Religiosæ obseruantiam, petita, ex ipso rationis lumine? Primum sit vita pacata.

1. Fugisti è seculo, vt peccata, sed & turbas & tumultus vitares, quid te transfert ad aliam tumultuum & inquietudinum tuarum materiam? nisi quia disciplinam Religiosam obseruare non vis. Mi religiose, cur ex Religione, mundum alio nomine, tibi facis?

2. Re-

2. Religio, quæ & suæ & alienæ perfectioni attendit, est columba; duabus alis volans: sanctitate, & doctrinâ. Quomodo possibile est te fieri Sanctum, & non amantem disciplinæ Religiosæ? Æquale esset miraculum, aut æquè impossibile, componere gratiam cum peccato, & componere Sanctitatem cum vita non disciplinata. Vnde fieri sanctus, hoc est amans IESUM, & hunc Crucifixum? ama simul disciplinam Religiosam. Altera est ala, doctrina: si disciplinæ Religiosæ amans non eris, Deus, qui est tui profectus dispensator, non permittet, in malevolentem animam tuam disciplinæ Religiosæ, introire Spiritum sapientiæ.

Examina te, quare non profecisti, vt debuisti? disciplinam Religiosam non seruasti! loquebaris cum stude- re debuisti; tristatus es ob coercitam tuam licentiam, tristabar ob obtritas cum fratribus: studere non potuisti; studuisses, si obseruator disciplinæ fuisses.

Quare in peccatum incidisti? quare indiges animosâ confessione? ob non seruatam disciplinam, punit te Deus factore peccatorum. quid restat? Vnum! quid? Ego dixi. Nunc cepti.

PUNCTUM II. Fac planè Examen Conscientiæ, in quonam, circa actiones & mores tuos, deficias ab obseruantia disciplinæ religiosæ.

PUNCTUM III. Statue te in conspectu Ss. Trinitatis, præsentata illam tibi, tanquam speculum voluntarium, & in eo imprimi omnes defectuositates, à te, religiosæ disciplinæ non seruatæ; pete, vt tibi contribuat vires, superandi defectuositates tuas. Præsentata te ante IESUM, & hunc Crucifixum, impropertantemq; tibi capite suo, quòd caput tibi non conforme Crucifixo sit! impropertantem manibus: Cur non tollis manus tuas in sancta? impropertantem pedibus: vbi sunt viæ Domini? hæc semitâ ire voluisti, quando primùm. Reli-

gio-

128 gionem adisti? Noli noli tibi mentiri, iuisti huc ut sanctus redderis, quare peccator euasisti? Improperantem corde: Posui dilectam animam pro te, cur mihi negas tuam? quare te mihi suffuraris? & hic quidem vestitu, alibi moribus es! Statue te coram dilecta, superdilecta, superdilectissima Virgine Matre Dei, parum est, etiam tua. ad hoc te illa vocauit, duxit? suis benedictionibus promouit? ut tam languidè Filium eius amares! Putauit illa, saltem indubiè voluit, quòd si mille corda haberes, mille cordibus Deum amares: & tu, ne vno quidem corde, sufficienter amas, disciplinæ religiosæ osor, eam seruantium derisor, & suauium etiam mediorem, magnæ perfectionis acquirendæ, contemptor!

COLLOQUIUM. Oremus Dominum ad inuicem, ut impleat nos Dominus Spiritu, cui Sancti Fundatores Nostri seruièrunt, faciatq; nos, venerari in alijs obseruantiam disciplinæ religiosæ, in nobis promouere.



ME-

MEDITATIO

De medijs obseruandæ disciplinæ Religiosæ.

PRÆLUDIA ut antè.

PUNCTUM I. Sit primum medium obseruandæ disciplinæ Religiosæ, petatum ab ipsismet Superioribus. Si tibi strueretur columna pertingens vsq; ad Beatorum sedem, & quidem vncis & nouaculis districta, peruadendumque illuc esset per vulnera: nunquid non vulnera appetere deberes? paruulus hic rigor obseruantix Religiosæ, in vsum deductus à superioribus, quare te molestat! Recordare scripturæ, quòd superiores Tui *peruigilent quasi rationem reddituri*; si tibi amara est disciplina Religiosa, amarus tibi est, ipse Deus, obligans superiorem, nisi fecerit, redditurum rationem. Amas Dominum tuum? id ipsum vnde scis, scis notitiâ experimentalis, noscendo quòd illum ames; quare ergo non apprehendis disciplinam amore Domini Tui, & quidem disciplinam in illis materijs, quæ ut vrgeantur, ipse disposuit, qui disponit omnia, Deus. Docet Lugo Doctorum sexdecim fultus auctoritate, quòd in aliquibus materijs, in quibus subditus ne quidem venialiter peccat, peccet mortaliter superior, permittendo passim non seruari Regulam. Quare vis Tuam superiorem damnari? vis Deum blasphemare, si id non exigat, quod exigere tenetur? Subde ergo collum tuum iugo Religioso: inclama cum Psalmista: *Vt iumentum factus sum apud Te*. Propone disciplinæ Religiosæ obseruantiam.

R

PUN-

130. PUNCTUM II. Secundum medium obseruandæ disciplinæ Religiosæ, desumptum à Paribus & coætaneis. Sunt aliqui nostri pares, quos conscientia non laudat: An non enim confessus es frequenter, & hoc & illud, ex occasione illorum? quos item non laudat Religio; meministi pœnitentiarum, admonitionum à superiore, delationum ad Prouinciales, quid si etiam ad Generalem? Istæne familiaritas bona, quæ Deo ordinante, sine cuius ordine capillus de capite non cadit, ita expungitur? Non laudat hanc familiaritatem Deus. Siste te tanquam mortuus in conspectu Dei Iudicis, dicetne tibi Deus Iudex: Congregati fuistis in Nomine meo: Ego fui in medio vestri? Et hæc est illa familiaritas, quæ te suffurata est disciplinæ Religiosæ, inferuit tricis, ingessit tristitijs. Iam non es nouitijs, non iunior, proximè ad altare Domini accedes, vel accessisti; spreuisti mundum vt saluareris, cur non spernis familiaritatem, vt disciplinam Religiosam obserues, aptiorq; fias, qui in Religione perseueres. Altera classis tuorum coætaneorum & familiarium est, obseruans disciplinæ Religiosæ. Per hos annos religiosæ vitæ, reflecte te, quòd incomparabiliter videris plures, in vnaquaq; cõmunitate, religiosæ disciplinæ amantes, quàm discolos: inter ipsos Religiosæ disciplinæ amatores, ita disponente Deo, qui tuam Religionem amat, enituerunt semper, vnus & alter, & plures, insigniùs obseruantes Religionis rigorem. Cur tu eorum censum non intras? Cur non mereris, vt dicat de te Dominus: *Hæc est generatio quærentium Dominum.* S. Teresa dixit: quòd mallet ab alijs superari, alijs Dei donis, & gloriâ in cælo, ita tamen, vt in cælo nemo se superet amore Dei. Placetne tibi, vt in cælo, nemo cordialius, Te, Deum amet, nemo cordialissimè, nisi Tu? mensura illius amoris, est perfectio in hac vita; mensura huius perfectionis,

131. nis, amor disciplinæ Religiosæ. Statue ergo tibi præ oculis, hos ipsos quos nosti Religionis tuæ homines, huius Zelum, huius humilitatem, huius mortificationes, huius traductas in laboribus horas: contende imitari, & euades verus Religiosus, euades apud argumentosa, colligens mel cælestis meriti.

PUNCTUM III. Sit 3tium medium obseruandæ disciplinæ Religiosæ, petitum ab interiori tuo instinctu. Et quidem examina imprimis confessionem tuam generalem, quam, quia teneris de præcepto diuino, facere cum proposito emendationis, illud elice. Deinde, impossibile est moraliter, quin si velis religiosè facere reuouationem spiritûs, habeas instinctum aliquem, promotiuum Tui ad bonum; qui instinctus, vnâ certo, impellet te (modò te reflectas) ad obseruantiam disciplinæ religiosæ. Deniq; reuoca te ad inspirationes tuas internas, quas habuisti. Reuoca ad mala quibus Te, Deus afflixit, interiora, & exteriora. Reuoca Te ad præsentem animæ tuæ statum, & videbis, an non practicum sis habiturus dictamen, quòd indigeas aliâ interiore, aliâ exteriore vitâ, quâ stat, tota disciplinæ Religiosæ obseruatio. Porro de toto genere loquendo, stat disciplinæ Religiosæ, omnino & de necessitate, vt ita dicam, medijs, exequendæ, in his obseruantia. Imò obedire campanæ. 2. seruare silentium. 3. à familiaritate irreligiosa abstinere. 4. obire ordinaria & extraordinaria officia, saltem commodè. 5. Fugere libertatem delinquendi, in Conuentu, & prospectu communitatis. Elice circa hæc, proposita, & quinq; has obseruantias, quinq; vulneribus Domini Iesu, dona.

COLLOQUIUM. Scribe schedam, eamq; ex affectu cordis, sanguine tuo scribere velis, & redde Ss. Trinitati, his verbis exaratam: *Ego dixi nunc capi.* Scribe aliam & trade Crucifixo Christo, hæc vel similia continentem;

132 tem: *Mibi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Scribe tertiam Beatissimæ Matris, cum lemmate: *Beatam te dicent, omnes vitæ meæ actiones, Amen.*

MEDITATIO

De studendo ad mentem Religionis.

Oratio præparatoria dirigatur ad Sapientiam æternam, petendo ab illa, vt condiscamus Amorem sapientie participare.

PRÆLVDIVM I. Statue tibi Domum à sapientia ædificatam, & in eius medio, situatum Sanctum Euangelium, aliosq; libros Canonicos, & in parietibus domus, collocatos libros Sanctorum Patrum, Doctorum Scholasticorum, & Asceticorum, omniumq; aliorum, qui Ecclesie Dei, studendo, docendo, profuerunt.

PRÆLVDIVM II. Pete à Sapientia æterna, vt te dignum faciat hos libros aperire, rimari, in tuum commodum transumere.

PUNCTUM I. Cogita Motiua quæ habere possis, vt diligenter studeas.

I. Motiuum, ex via purgatiua. Est inter effectus, aut potius defectus, à peccato originali oriundos, ignorantia; si iustitiam originalem non perdidissemus, nullus nostrum esset, qui non ingenio, subtilitate, notitijs rerum, valeret. Expugnauit Christus morte suâ Originale; tibi, ex merito mortis eius, incumbit, residuos defectus ex originali auferre, inter quos, est Ignorantia. Adimple ergo, ea, quæ defunt in nobis, passioni Christi, & ignorantiam in te, & alijs, tanquam defectum à peccato originali oriundum, stude extirpare. Pete pro hoc vires, ab æterno Patre, tanquam fonte Sapientie personalis. Pete à Verbo æterno, quod est

Hypo-

Hypostatica Sapientia. Pete à Spiritu Sancto, cuius illu- 133
stratione corda fidelium docentur.

2. Motiuum est ex via illuminatiua. Nonne tu vitæ Religiose adstrictus es amando proximo tuo? Quomodo illum amabis? Est inter modos amandi insigniter proximum, vendere seipsum, vt captiuum proximum liberet. O quanta mundum ignorantia Dei tenet! fac te pro mundi bono captiuum. Eris captiuus librorum, si illis perpetuo fueris adscriptus; in seruitutem te rediges ad studia; destituet te natiua tua hilaritas, destituet vigor sanguinis, & in dimidio dierum tuorum, semimortuus vades ad portam sepulchri. At cur? quia te captiuum fecisti studendi, vt proximos Christo lucrifaceres. Consecra ergo, in altari Diuinæ Sapientie, caput tuum, scholasticis laboribus, vix non ad delirium, debilitandum. Consecra oculos tuos, legendo, scribendo excæcandos. Consecra præfringendum studiosis inclinationibus pectus. Consecra vitam, indubiè, doctrinæ laboribus, præmaturiùs præcidendam, & cui bono? *Ad Matorem Dei gloriam, & bonum animarum.*

3. Motiuum. Quæ oro communis & prima est possessio, totius Sanctissimæ Trinitatis? certè est, Esse intellectiuum, Esse sapientiale. Et quid Deo amabilius est, quàm si participemus de illo? Participa ergo de hoc esse Diuino Intellectuali, sapientiâ te & doctrinâ instituens, secundum mensuram donationis Christi.

4. Motiuum, Amor Ecclesie, etiam per regnum hoc sparsæ. Quid doctos effecit? Fides, ex qua scientificæ deductiones, Christianam Philosophiam & Theologiam ampliârunt. Sicut ergo Christus non adstrinxit fidem vni certæ genti, sed & regno huic intulit; ita dedit huic regno, ius ad scientias parandas. Ob amorem ergo fidei, ob amorem Ecclesie, in qua non est acceptio Personarum, stude literario labore ostendere, etiam

R3

am

134 am in regno tuo, à Fide doctrinas propagari, produci.

s. Motuum sit, amor tuæ Prouinciæ. Seruit illa tibi Matris & Patris loco: successit tibi in locum tui Patri-
monij, tui peculij; quid illi rependes? repende san-
ctitatem, & post illam, doctrinam. Deprecare Religio-
nem, & Caput eius, Sanctum Fundatorem, quòd studijs,
quantum potuisti, non vacaris; & pete à mortuis, in
hac v. g. Theologica Ecclesia sepultis, vt deprecentur
pro tuis negligentijs, impetrentq; tibi amorem, immò
feruorem studendi.

PUNCTUM II. erit, de modis decorandi doctri-
nam nostram actiuam, quâ docuimus, & docebimus ali-
os, & doctrinam passiuam, hoc est labores discendi.

Labores discendi, decora affectibus diuinis, nempe
appetitu innato & elicito, quem habet natura diuina, ad
personari Sapientiâ increatâ, quæ est quoddam discere
à Patre, hoc est habere à Patre, communicatam sibi sa-
pientiam.

Decora labores tuos studendi, theandricis affectibus
Christi, quibus desiderauit noticiam Sanctissimæ Trini-
tatis, haberi à mundo. Decora laboribus Ecclesiæ mi-
lantis, & discendum linguas barbaras, ad hoc, vt pos-
sent prædicare fidem; qui, ô quàm magnus labor!

Decora laboribus Sanctorum Doctorum, Ecclesiæ,
& D. D. Religionis tuæ, vt euaderent qui euaserunt.
Decora laboribus S. Patris Ignatij, post triginta ætatis
annos, Grammaticam discens. Decora omnibus la-
boribus, à quibuscunq; Scholasticis, in Scholasticis im-
pensis; & in particulari, laboribus, quos in hoc ipso
domicilio, Sancti discipuli subierunt.

Labores autem docendi, decora affectu æterni Pa-
tris, in communicando filialem sapientiam; affectu
theandrico, quo Christus Apostolos docuit, & per illos
mundum; affectu quorumcunq; Sanctorum Aposto-
lorum,

135
lorum, Doctorum Ecclesiæ, & Religionis tuæ, docen-
tium mundum. Et in particulari eorum, qui linguæ
non satis periti (ita Deo ordinante) & tamen fidem,
Ethnicis deridentibus, aut volentibus capere; sed ob
defectum debitæ locutionis, non potentibus capere,
fidem inquam, ingesserunt potius gratiâ Saluatoris,
quàm prædicârunt.

Decora deniq; laboribus, horum ipsorum, qui in
hoc domicilio, ante te, docuerunt; & quidem ij, de
quibus nunquam audiuisti, nunquam eos vidisti, & ta-
men fuerunt insignes Saluatoris serui, & huius domici-
lij, Institutores.

Decora adhuc, & eâ ratione, tua studia. Tres sunt
affectus in mundo præcipui: vnus, Amor Dei: *maior e-
nim horum est charitas.* Secundus actus, est Dei glorifi-
catio, quâ nulli Deus vult cedere: *Gloriam inquit meam
nulli dabo.* 3tius actus, est voluntas, & euentus moriendi
pro Deo: *Nemo enim maiorem Charitatem habet, quàm vt
animam suam ponat.* Cogita, quot iam volumina inscripta
legeris, cogita voluminum libros, librorum phyluras,
phylularum folia, foliorum facies, facierum periodos,
periodorum cômata, cômatum versus, versus literas;
toties velis amare Deum, glorificare, vitam pro illo ef-
fundere. Numerauit Angelus passus Anachoretæ,
aquam Cænobio adferentis, numerabit & has literas.

PUNCTUM III. De resolutionibus faciendis, ab eo
qui studia tractat. Ima v. g. est. Nolle studere, vt po-
stea nanciscaris studij tui exercitium, & veneris offi-
ciolum aliquod; aut post officiola, ne intendas recom-
pensationem venerationis, alicuius alijs commodi; sed vt
studeas, ad Maiorem Dei gloriam.

2da resolutio. Certò scito, quia gradieris viâ Patrum
tuorum, incidēs in iudiciâ iniusta, in taxas depressiuas
tuorum talentorum, minorq; apparebis longè, quàm
fis;

136 sis; & hoc ipsum quod tibi tribuetur, tribuetur ad opportunius conuiciandum: nempe, quòd doctrinâ, licet minutulâ, utaris ad fastum, ad aliorum depressionem, ad apparentiam eminentiæ indebitæ, & quòd potius intrudas te in æstimationem humanam, quàm eam merearis. Resolue te ad hoc.

3tia Resolutio. Persentisce hoc cordialiter, & penetratiuè, quòd quantumuis maximam, omnium possibilium creaturarum doctrinarum, doctrinam haberes, eamq; multis alijs titulis, non ornatam tantum, sed & exaggeratam; quòd tamen velles illam potius perditam, quàm perditum vel minimum ex bonis supernaturalibus, & actionibus meritorijs: indubiè enim meretur tantam æstimationem dignitas boni supernaturalis. Hinc disces, cordialius debere tibi placere Orationem, quàm studia, Examen conscientiæ, quàm thecam. &c.

COLLOQUIUM. Petes ab Angelo tuo Custode, omnis tuæ doctrinæ & studij, vniuersali socio, vt colligat ea omnia quæ percepisti, quæ docuisti; & offerat Ss. Trinitati, hoc est sapientiæ fonti, benedicenda, augenda, acceptanda, in eiusdem gloriam. Offerat quinque Domini Iesu vulneribus, & præcipuè Sacrosanctis eius pedibus, qui sunt nidus docentium, discendum. Vnam sint nidus etiam tuæ literaturæ. Offerat manibus Beatissimæ, tractandæ Æternæ Sapientiæ affectis, in illisq; reponat omnia talenta tua. Offerat pedibus Beatissimæ thecam tuam, in suggestum, & scabellum throni. Offerat cordi Mariano, labores studendi, & docendi, vt illi sint cordi Beatissimæ, Amen.



MEDI-

MEDITATIO

De primo Medio Perfectionis breuè acquirendæ, quod est,
Silentium.

Oratio præparatoria consueta.

PRÆLVDIVM I. Statue tibi ob oculos IESUM, ante Iudices stantem, calumnijs impetitum, nec tamen se excusantem, & audi Euangelistam dicentem: IESUS autem tacebat.

PRÆLVDIVM II. Petè à IESU tacente, gratiam noscendi, quàm bonum sit, ponere custodiam ori suo.

PUNCTUM I. Commemora tibi, quàm multa iam in Religione, a superioribus & paribus, passus sis? At quæ de causa? ob linguæ tuæ defectus. Mentiretur sibi, qui in anima diceret, in Religionibus quæ studijs attendunt: studui quantum potui. Cur non studuimus? garulitas impediuit! Expertusne es, quid sit coniungi Deo in oratione? & quid, gustare in Eucharistia, quàm dulcis sit amor IESU? Cur tibi hæc inamaruerunt, & quidem repetitò? omnibus pensatis, effusio loquendi, causa fuit. Prima post Apostolos & Martyres sanctitas, Eremitarum fuit, feruente adhuc Christi sanguine, proximè post mortem Domini: norant illi perfectionis neruos: in quo eam statuebant? aut quo singulariori medio, ad illam, entrebantur? ferme silentio. His in memoriam reductis, perpende motiua, quibus accendi possis, ad obseruantiam silentij.

I. Motiuum sit. Ad loquendum necessarius Dei concursus, ad tacendum non item. O quoties abusi sumus hoc concursu Dei: in satisfactionem, pro tot concursibus

S

eius

138 eius, malè loquendo, malè impensis, offeremus, non
vsum concursus Diuini.

2. Motiuum. O quanta farrago Sanctorum Silentia-
riorum in Eremo! Velis communionem Sanctorum
cum illis. Pudeat non seruare silentij Regulam, coniu-
ctam libertati interdum loquendi: illis, planè totà vità,
tacentibus.

3. Motiuum. Amasne IESUM & MARIAM? En de D.
IESU Euangelium dicit: IESUS autem tacebat. Beatissi-
mè, paucula verba in Euangelio extant. Tace ergo ob
IESU & MARIÆ tacentium, amorem.

4. Motiuum. Rubet adhuc os tuum sanguine IESU,
toties porato, olet adhuc pane illo Angelico, proximè
sumpto. Claude os, quasi seruaturus reliquias illas: &
tace, vt dignus sis habere in ore tuo, Verbum Eucharis-
ticum.

5. Motiuum. O quàm os tuum, aut sacratum est, aut
sacrabitur, grandi eloquio! nempe verbis, quibus posu-
isti, aut pones, Deum, sub speciebus Panis & vini. Cur
ex ore tuo molendinum, si non Diaboli, saltem vanita-
tis facis?

6. Motiuum. E Psalmista: *Te decet Hymnus, vel: Te de-
cet silentium Deus in Sion.* Inquilinus es futurus æterni-
tatis beatæ, assuefacias te, ad hanc, æternitatis culturam.

7. Motiuum. Deus non nisi vnum loquitur Verbum.
Imitare Dominum tuum, saltem, cum vnum non possis
loqui verbum, pauca loquendo.

PUNCTUM II. De intentionibus, ad quas silentium
seruari potest. Primò. In satisfactionem pro tot pec-
catis linguæ. 2do. In impetrationem, vt det tibi Deus
gratiam, spiritualia, cum tuo & alieno fructu, loquendis
quid si etiam concionandi? 3tio. Vt tibi impetres gra-
tiam, nusquam distractè, semper deuotè & sanctè, pro-
ferendi verba consecrationis, absolutionis, exhortatio-

nis

139 nis exomologesticæ, præcipuè cum loquendum erit
maximo peccatori, maximis & emphaticis verbis. 4to.
Vt tibi impetres gratiam, vocales orationes, officij præ-
cipuè Diuini, peragendi ita, vt Deus in tua complace-
at Oratione. 5. Vt tibi impetres gratiam, in actuali amo-
re Dei, tempore agoniz, pronunciandi IESU & MARIÆ
nomina.

PUNCTUM III. De Medijs adhibendis, ad seruan-
dum silentium.

1. Desere societatem, ^{tem} quæ tibi necessitatem impo-
suit, garrindi.

2. Pro singulis septimanis, statue specialem correcti-
onem, circa speciale loquendi tempus, & locum. In
Refectorio, scandalum: in alieno cubiculo, interpreta-
tionibus obnoxium, *in curia, imperis.*

3. Nunquam incipias loqui maius aliquid & notabi-
lius, quin prius intingas linguam tuam in vulneribus
Domini IESU.

COLLOQUIUM. Statue te coram Sanctissima Tri-
nitate, tanquam linguæ tuæ Creatrice. Pete ab illa, vt
ponat signaculum super os tuum, ne loquendo exerres,
exerrando, illam offendas. Statue te ante Dominum
IESUM tacentem, & velatos oculos habentem: & pete, vt
hoc ipso velo, os tuum adstringat. Statue te coram Be-
atissima, quæ pusionem IESUM, post silentia in vtero
suo, per anni spatia, vagientem & non loquentem, te-
net. Pete, vt filio suo, silentium hoc illius ipsius offer-
rat, impetretque tibi gratiam, sanctè loquendi, cum lo-
quendum est, & religiosè tacendi, cum tacendum.



52

MEDI-

F loqui

(96) (90) (X) (96) (90)

MEDITATIO

De secundo Medio Perfectionis breui acquirenda, quod est, Intentionum usus.

Oratio præparatoria solita.

PRÆLVDIVM I. Statue te in magna Eremo, & aspice vnum ex Eremitis, deferentem aquam, & simul intueri Angelum, numerantem passus illius.

PRÆLVDIVM II. Pete à Domino felicitatem, vt ita etiam passus tui, nictus oculorum tuorum, pulsus arteriarum & cordis, connumerentur, ab Angelo tuo Custode.

PUNCTUM I. Præsupponenda sunt aliqua principia. Primum: quando aliqua opera sunt de se supernaturalia, siue illa offerantur speciali intentione, siue non, meritoria erunt, dum fiunt in gratia. Et ita dum in gratia elicis actum supernaturalem fidei, vel dum in gratia Eucharistiam sumis, sine vlla alia intentione, vitam æternam mereberis; ob doctrinam Christi: Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam. Nihilominus illis ipsis operibus, maius & maius pondus addi potest: nam si credas, vt suppleas defectum credendi in infidelibus, si credas, vt quia Martyr esse non potes, saltem actu interno protesteris fidem, & sic de alijs intentionibus; indubiè crescet meritum fidei. Si communices, vt carne Christi carnem tuam expugnes, vt iam non tu sed viuat in te Christus, vt ita, non tu cibus in te, sed cibus iste, te in se conuertat, exaggerabitur in te meritum, communicandi.

Examina hinc, quam decurtatæ, & non exaggeratæ sunt in te intentiones operum tuorum? & in particu-

ri,

ri, dum exerces actus virtutum Theologicarum, obis Sacramentorum usum? quâ tuâ parcitate intentionum, non fraudas te quidem merito, fraudas tamen te exaggerationibus meriti. Fac propositum, plurificatis intentionibus, plurificandi merita.

Secundum principium est. Sunt alia opera, quæ de se non sunt meritoria, sed de se etiam non sunt demeritoria. Et talia, si nullâ fiant intentione, meritoria non sunt, si tamen altiori intentione eleuentur, euadunt meritoria: non quod illa ipsa opera sint merita, non enim euadunt supernaturalia, quis enim dicat, quod si passus offerantur Deo, ipsi passus sint futuri supernaturales? quod si non sunt supernaturales, meritorij non sunt: positio enim fidei est, omne meritum vitæ æternæ, debere esse supernaturale; ipsa tamen intentio versans circa illa opera, multò magis eius repetitio, meritoria erit, deriuatâ aliquâ honestate, ex actu illo interno, in externum. Hoc ipsum defumitur ex Doctrina Sancti Pauli. Ipse enim I. ad Corinth. 10. v. 31. ait: Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei faciatis.

Examina ergo hinc conscientiam tuam, facisne omnia in gloriam Dei? quot iam vicibus à natiuitate tua nictauit oculus tuus? si hanc nictitationem, & quidem repetitis & repetitis vicibus, obtulisses, quod toties velles elicere desiderium videndi Ss. Trinitatem in cælo, & hinc in via videndi IESUM & hunc Crucifixum, videndi Beatissimam, vt vel istis medijs accendereris ad IESU & MARIE amorem: quantum iam de merito acquisuisses? præcipuè, si istius desiderij maneret in te semper virtualis intentio. Quot iam passus emensus es? si illis passibus, voluisses peruenire ad ea omnia loca, in quibus Deus offenditur, & deterrere peccatores, ne Dei sui obliuiscantur; si toties voluisses calcare carnem

S 3

mun.

exsuffla-
rum pulmo-
re tui

mundum, te ipsum; o quot iam gradibus, in gratiam Dei Domini tui peruasisses! Quoties iam exsufflauit hepar tuum, respirarunt nares? si toties uoluisses emori, & hanc uiam ultimum reddere in obsequio Dei tui: nonne feliciter tibi ad æternitatem adspiras? Quoties cor per totam vitam tuam subsiliit, pulsarunt arteriæ: si toties dixisses: quod, Deus cordis tui, sit pars tua, Deus in æternum, o quam te insinuas cordi Diuino? Hæc tota, & similis, arca Sanctitatis, inculta tibi fuit. Accendere ut illam colere uelis, fac propositum, te in hoc genere corrigendi. Implora Ss. qui indifferentium operum oblatione, cælum emeriti sunt, ut tibi talium intentionum inchoationem, continuationemq; impetrent. Et quia hæc fortè hætenus aut non fecisti, aut debito seruire non fecisti, hæc omnia supplere, hac ipsa felici hora, huius felicitis horæ, felici quadrante, huius felicitis quadrantis, diuisibilibus & momentis stude.

PUNCTUM II. Examina intentiones, quas ad dilatandum meritum, & tuam exercendam in Deum caritatem, facere soles, in operibus merè de se sanctis. Sanctissimum opus est, Communio: ita hæc communicas, ut Deus, sublimatis tuis intentionibus inspectis, dicere iuste possit: factus sum conuiuium, sufficeret mihi, quod hic & nunc in mûdo hic solus communicet. Omnia hæc, quæ tibi Deus inspirauit, quæ audisti, legisti, circa communionem, illa facis? Sanctum opus est confessio: estne uelut mare contritio tua? Unusne, pro peccatis tuis, ita dolens, ac si feruentissimè dolendum esset, pro peccatis totius mundi? In meditatione tua exardescitne ignis? ita, ut bulliat cor tuum, præ feruore dilectionis tuæ in Domino. Facis examen Conscientiæ, ita hæc, ac si ipsi præsentis CHRISTO, non tuo Confessario, confitereris? Orationes tuæ uocales, quibus, & quàm latis intentionibus fiunt? Purpurasne pri-

mum

mum linguam tuam, sanguine IESU, ut Deo & Beatissimæ, acceptabiliorem promas orationem? Mortificationes tuas obis, obisne ita tibi iratus, ut velles te mactare, in odium tot nefandorum scelerum tuorum: Est inter opera de se Sancta, seruitium ad Missam; seruisne ut Ethnicus? ut Abecedarius puer? an ut tot impendijs sanguinis Iesu quæ situs, & seruatus Religiosus.

PUNCTUM III. Reflecte te supra intentiones operum, merè indifferentium. Surgis, ita hæc surgis, ac si primum te Deus, in lucem daret, cum actibus Conuersionis ad Deum, tanquam ad ultimum finem. Indormiscis: sed ita hæc, ac iam ultimum spirans, ac exhalans. Is, & obuios habes tuos fratres, eorum mansiones, tot Sanctis operibus dedicatas, Templum Dei factas: quos tunc elicis affectus? Ingredieris commune Refectorium, Templum: conuertisne te ad oculos Domini Creatoris tui, ut respiciat super hanc familiam suam, pro qua Dominus IESUS non dubitauit (quia persuasus bonum esse ut faceret) manibus tradi nocentium?

Appono hic unum & alterum Paradigma, exaggerandi opus indifferens, v. g. seruitium ad mensam. Viri honorati in conspectu hominum, & tuo, inseruiunt mihi, & ego non seruiam illis? Volo testari Domine, quia ego verè, & verè, seruus sum illorum. Tu Domine fuisti subditus Matri, & seruiuisti illi: imitor te Domine, imitor & seruos tuos. Tua prouidentia pascit nos Domine, tuæ prouidentia instrumentum esse uolo, dando quod tu disposuisti, uellem dare optima, sed nolo, quia tu non uis do tamen optima, quia intincta pretio sanguinis tui, quia ego amo & veneror fratres meos. quid? Dominos meos!

Dilatationes Intentionum hæc esse possunt. Do, domine eo affectu, quo unquam Benefactores spiritualium, bona sua, tuis Ecclesijs, Xenodochijs, Religio-

rum

C
Fhyu
cautum

rum Domibus, dederunt. Do eo affectu, quo Martyres tui, sanguinem tibi dederunt. Do eo affectu, quo Mater tua Beatissima, elemosynam lactis sui Virginei Tibi dedit: eo affectu, quo tu teipsum, & Divinitatem tuam, in Redemptionem, in cibum, dedisti. Do eo affectu, quo tu, Teipsum, in æternam Beatitudinem, in æternitatis gaudijs dabis. Verrenda erit Domus, purganda communia loca, exaggerasse id intentionibus multis? Adde, tuis melioribus, has: Sicut Domine, has ego euerro quisquilias, fac me Domine è mundo, omnes infidelitatis & peccatorum sordes euertere. Sordes sunt, quas tracto, sed affectu Patris mei in Spiritu, Sancti Ignatii, hinc Domine, etiam Religiosus mundus, & speciositates, fordēt mihi, dum cœlum, (sed quod illud?) te ipsum aspicio. Vide domus Patris mei & Matris meæ, videte omnes noti, & amici mei, aspiciat irridens & fugillans mundus, quia ego vtiumentum factus sum, & stercorarius seruator, propter Te; Te, inquam quem nominare nescio, Te cui titulum non reperio, hunc unum apto: Te IESUM, & hunc Crucifixum.

meditatio
spiritus

COLLOQUIUM cum Ss. Trinitate. In quantum illa est Chaos omnis perfectionis, petes ab illa, vt effundat in te gurgites doctrinæ spirituales, vt in intentionum inventionibus, gustum habeas, feliciter illas inuenias, constanter exequaris. Statue te, non ante oculos Crucifixi, & eo merè titulo, quia indignus es, quem tam impendiosus tui Redemptor, aspiciat, sed statue te à retro, & inclama: Illumina Domine tenebras meas, ne obdormiam. in tot & tantis occasionibus profectus. Reuoca tibi in memoriam, illas apparitiones Beatissimæ, suo pallio Religiones plures regentis; tange hanc sinitiam, & desidera vt Beatissima sentiat virtutem de sua veste exiisse: & quam? virtutem multiplicandi merita, per verè exquisitas, & altæ speculationis intentiones, Amen.

MEDI-

MEDITATIO

*De tertio medio acquirenda breui perfectionis, quod est:
Vnus Præsentis Dei.*

Oratio præparatoria solita.

PRÆLVDIVM I. Statue te ante Deum, in quantum reperitur in illo Prædicatum Excellentis, cui nomen nullum aliud par, nisi: Solis Iustitiæ.

PRÆLUDIUM II. Pete gratiam à Deo, vt non tantum te Sol iste aspiciat, sed vt, & tu, perpetuò illum, præ oculis mentis tuæ, habeas.

PUNCTUM I. Cogita, quàm frequenter te vitia tua vincant, cogita, quàm multas occasiones, benè merendi de Deo, passim omittas. Cogita quàm cum dignissimo vnibili, parum vnitus sis. Proba an te vincant tentationes, an sine virtutibus viues, an Charitas Dei longè erit à te, modò statuas tibi Deum præsentem. Proba, & experieris. Perpende ergo motiua quæ habere posses, vt Deum præsentem tibi fistas.

1. Vel peccas malitiâ, vel debilitate: si malitiâ, proba, & experieris, impossibile esse vt non ames Deum, cum ille summum bonum sit, quod nusquam odio haberi potest, modò cogitetur summum esse; Si debilitate peccas, iurabunt tibi milliones Sanctorum, longè grauioribus tentationibus impetiti, quàm tu, nullum à tentatione victum fuisse, qui dum tentabatur, aduolebat se se, pedibus Iesu, & huius Crucifixi.

2. Quàm multi sunt homines, qui ita coram Deo versantur, ac si Deus illis non esset intimus! saltem tu sis inter paucos, qui Deum sibi præsentem statuunt, vt

T

sup-

146 suppleas disgustus, quos Deus habet, ex sui tanta obliuione. Volo & propono mi Deus, deprecor oculos tuos, qui me aspiciunt semper, & ego aspicientem me, despexi.

3. Tota occupatio æternitatis vnica erit, contemplari vultum Dei, amare bonum visum. Affacfacias te ad hanc occupationem æternitatis, tu, qui nescis fortè nomen Tuum, & Tu filius es prædestinationis.

4. Quæ occupatio Domini Tui? cogitare de Te, & si hoc momento desineret cogitare de Te Deus, hoc momento desineret esse Deus. Cur non reddes vicem Domino Tuo? vt vel interdum cogites de illo. Ergo, exclama: *Si oblitus fuero tui Hierusalem,* (Et quæ Hierusalem est: Deus cordis mei:) *obliuioni detur dextera mea.* Adhæreat lingua faucibus meis, si non proposuero IESUM Crucifixum, in principio cogitationis meæ.

PUNCTUM II. Tres sunt, de toto genere loquendo, præsentia Diuinæ Species. Prima Altissima, Secunda Vtilissima, 3tia Iucundissima.

Altissima est per actum fidei, etiam Imaginationem, stringentem, & distantem: Deus vbiq; est. & hoc tibi & Metaphysica & fides nostra dicat.

O mare, & quæ beatos & viatores beas, & nobis te largè superinfundens, cur viuimus quasi rore tuo non intincti? in æternitate beabis nos teipso; & in via, cur non beas, memoriâ Tui. Alterum genus præsentia Diuinæ vtilissimum, sunt pedes Dñi Iesu Crucifixi. Dicebat Iob: *In nidulo meo moriar.* Vbi tu es natus & renatus? vbi plumæ vestis Gratiæ tibi increuere? in vultibus Domini Tui. Sunt hæc illa nidus tibi, in quo vitætes, in quo expergeñas, in quo indormitas. Memento, quòd fortè in clamitandum sit supra te agonizantem: En Crucifixum! recurre ad Dominum tuum agonizantem! & tu spasmus infertus, visu & auditu

desti-

147 destitutus, & versans te in infirmitate, & factoribus agonizantem, nescies quid tecum agetur; si non insuesces statuerere tibi frequenter, imò perpetuò, IESUM & hunc Crucifixum: excedes ex hac vita, quantumuis, vt sperandum est, saluatus, sed saluatus, vt iumentum, nisi habituatissima cogitatio, repræsentarit tibi, dormientemq; euigilare fecerit, dicetque: *Prope iam est Dominus.* Noli sine amore Iesu Crucifixi mori.

3. Species Præsentia Dei est iucundissima: Nempe præsentia, in conspectu Matris Dei, & tuæ. Dicit Scriptura: Et qui appropinquant pedibus illius, participabunt de doctrina eius. Dedit tibi Deus capacitatem, impleri illa doctrinis non potest, sine Beatissimæ beneficis pedibus. Non ditauit te Deus capacitatem, ô quàm indiges instinctibus bonis? ô quàm indiges flammis dictaminibus, & penetrantibus cor penitentium, cor te audientium! Quis hæc tibi suggeret? suggeret Mater tua! Cur te abscondis à vultu ipsius, & arbitraris illam inimicam tuam. Iam desperasti de anima tua, desperasti de rebelli corpore tuo, cur non vtrumq; offers, cur non offers frequenter, frequentissimè, manibus Matris Domini, vt illa sit gerula animæ tuæ. Visne mi Religiose dignè pronunciare verba consecrationis, quæ tibi Deus in suo gazophylacio connumerauit, verba absolutionis, quæ, Deo dirigente ad te maximos peccatores, pronunciabis? visne Apostolicè, omni hominum generi, Regibus, & subditis, nobilibus & ignobilibus, diuitibus & pauperibus, loqui? Vnde tibi erit loquendi vena? erit ex illa exclamatione: Hinc pascor ab vberem. Si tibi filius Dei in Cruce pendens, dedit titulum, vt sis filius Mariæ, dedit tibi ius vberum Mariæ: hoc lacte pascere, & frequenter pascere, & vel in alimoniam totius Septimanæ, Sabbatis pascere, sitq; tibi modus Præsentia Diuinæ Sabbatiuæ; Beatissima, Translatio ad vbera Matris Dei.

T 2

PUN-

148 **PUNCTUM III.** Considera exempla deuotionis, & exercitij, in præsentia Dei. Primum est in S. Susanna: cogebatur vt peccaret, si non peccaret, sciebat se damnanda mortis, quid illam ne peccaret firmavit? quid animos addidit ne mori timeret? exercitium præsentia Dei: Melius inquit mihi est incidere in manus vestras, quam peccare in cōspectu, in oculis, in præsentia Dei mei. Secundum exemplum est ipsemet David exclamans: Si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades. Talisne tua anima, vt quocunq; ascēderis, descenderis, illic tibi occurrat Deus præsens! Si haberes amicum aliquē planē fidum, nusquam tamen illum occurrētem alloquereris, honorares, quæ ista tua foret ad illum confidentia? quis amor? ita planē apparet nullum esse amorem Dei, si nusquam; paruum, si raro, Dominum tuum præsentem adores, & ames. Cur peccator, plus apud te valet auctoritas vnus hominis, quo præsentem multa nolles facta, quam Dei? cur Deus præsens ad te infelix! vt tam nefanda, illo præsentem audeas. Deprecare quòd Dominum tuum præsentem reueritus non sis, propone emendationem. Considera, quòd Psalmista inducens Prophetam plorantem in exilio Babylonico, inducat etiam loquētem sic: Si oblitus fuero tui Ierusalem, obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Ierusalem in principio lætitiæ meæ. Sic omnis lætitia eius erat, cogitare, loqui de Ierusalem. Elice tu hos actus, protestando te memorem futurum præsentia Dei.

Considera, probos filios, quando per multos annos, suos parentes non viderunt, in primo illis occursu, non posse temperare sibi à lachrymis, nolle à latere illorum discedere, perpetuò cum illis fabulari, suaq; itinera narrare. Elongatus fuisti à Deo mi homo, profectus fu-

eras

149 eras in longinquam regionem, aberrans à Deo tuo! En tuus optimus Pater, Deus, exspectat te, loquere illi, obserua vultum illius, & narra vias tuas pessimas, petens, vt te à latere suo, nunquam discedere permittat.

COLLOQUIUM. Paciscere cum Christo Crucifixo, quòd sis frequenter te pedibus illius Sacrosanctis aduoluturus. repete verba Iob: In nidulo meo, hoc est ad vulnera Domini mei, ad pedes, ad vbera Domini meæ, moriar, viua.

MEDITATIO

De deuotione ad Sanctissimam Trinitatem.

PRÆLVDIUM I. Statue te ante conspectum Sanctissimæ Trinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Deum vnum in natura, trinum in Personis, intueriq; illum cinctum millibus Angelorum, & animarum Sanctarum.

PRÆLUDIUM II. Adora Sanctissimam Trinitatem cordiali affectu, & ex plenitudine tuæ submissionis.

PUNCTUM I. Considera causas quæ te mouere possunt, ad deuotionem erga Ss. Trinitatem. Prima. Quia hæc deuotio distinguit fidem nostram à Iudæis, Mahometanis, Arianis, qui non credunt Ss. Trinitatem; ita tibi hæc deuotio placeat, ac placet fides. Et hinc reuoca tibi in memoriam, quam multa millia hominum, ne quidem, an sit Ss. Trinitas, sciant: pete vt conuertantur, desidera vt viros Apostolicos illis prouideat Deus, & in supplementum, quòd illi Ss. Trinitatem non adorent, tu nomine illorum, adora. Ipsi Catholici, quæ ex ruditate, vt villani, quæ ex segnitie, & immersione cogitationum in mundo, vt politici, non adspirant ad

T 3

San-

150 Sanctissimam Trinitatem. Concentretur ergo in corde tuo, deuotio ad illam. Secunda fit Societatis hominibus propria, ex obligatione nostra speciali. Obligati sumus Patri æterno, commendanti Societatem Filio suo, qui est fauor inauditus. ô Domine mi, commenda & pauperem animam meam, pretioso Filio tuo! Filius Dei, promisit se nobis Romæ propitium fore, pete ab eodem, ut sit & Romæ, & hinc tibi propitius, maximè in occasionibus, in quibus periclitaretur conscientia, in omnibus locis mansionis tuæ, sed vel & maximè ut sit tibi propitius in agonia tua. An non obligata est Societas Spiritui Sancto, in linguis igneis, supra Sanctum Patrem descendenti? pete ut inflammet linguam tuam, ad deuotè communicandum, accendat ad loquendum igneè de Deo. Tertia causa: Occupatio nostra æternum futura est, adorare, intentos uisionè & amore esse, Ss. Trinitati. Inchoa hanc occupationem, adhuc in terris, dolo, quòd hætenus in terra, cælesti eà occupatione, debite usus non sis.

PUNCTUM II. Reflecte te, ad varia exercitia deuotionis, erga Ss. Trinitatem. 1. Reflecte te, an ita disponas deuotiones tuas & actus, ut semper contineant deuotionem dulcissimam, hoc est ad Beatissimam? deuotionem utilissimam, hoc est ad Dominum Iesum Crucifixum? deuotionem altissimam, hoc est ad Ss. Trinitatem? Præuide istam partitionem, teq; ei attenturum propone. 2. Quoties expergesis, dum item lecto te attollis, primañe tibi semper cogitatio de Ss. Trinitate? 3. In Litanis, inuocas Ss. Trinitatem, sed quali cultu? 4. Dicis Credo Apostolicum, Nicænum, affectuè Sanctorum, illam professionem fidei condentium? 5. In omni Sacro, dicitur Sanctus, Sanctus, Sanctus, excitasñe in te desiderium, affectu Seraphinorum id dicendi. 6. Signando te signo Sanctæ Crucis, dicis:

151 cis: In Nomine Patris, attollisñe id aliquo sensu interno? saltem hoc: quòd ante cælum & terram, ante omnes infideles, ante damnatos, Deum blasphemantes, velles profiteri Ss. Trinitatem. Deinde, ut & Cruce, & hac inuocatione Ss. Trinitatis, repellas à te omnes occasiones mali, & insultus diaboli: deniq; ut hanc Crucem & Fidem Trinitatis, inferas, implantas, cordibus omnium infidelium. 7. Tam frequenter dicitur: Gloria Patri, optasñe ex corde gloriam Ss. Trinitati? & quidem ita cumulatam, ut vnà complectatur gloriam exhibitam: Sicut erat, vnà complectatur gloriam quæ exhibetur: Et nunc, vnà complectatur gloriam, quæ te uita functo, usq; ad tempora Antichristi, usq; in æternum durabit: Et in secula.

PUNCTUM III. Tres sunt peruitiles deuotiones ad Ss. Trinitatem. Prima: Nolle offendere Deum, hoc est, nolle eradere nec deturpare imaginem Ss. Trinitatis, animabus nostris impressam. O quàm tu fuisti sceleratus Iconoclasta! quàm frequenter hanc imaginem exturbasti! obfuscasti! propone ob cultum Ss. Trinitatis in aliquo particulari delicto, emendationem uitæ tuæ. Secunda: Memoria præsentis Dei: exercitasñe te in illa? dolo quòd indebitè, propone in qua particulariter occasione, sistes mentis tuæ oculis, Ss. Trinitatem. Tertia statue quòd velis impensè oblatam occasionem arripere, in qua doceas aliquem, mysterium Sanctissimæ Trinitatis, supplica pro ijs, quos Deus ad hoc elegit, ut det Deus benedictionem & efficaciam, labori illorum.

COLLOQUIUM. Procide ante Deum Trinitatem, petendo ab illa, ut quæ hinc constituisti impleas. Petè à Ss. Trinitate, ut tibi impertiat donum deuotionis ad se, & ut id facilius impetres, implora suffragium, eorum præcipuè Sanctorum, qui impensius illius cultui, se usquam impenderunt.

MEDI-



MEDITATIO

De conformitate voluntatis nostræ cum
diuina, ad cultum Ss. Trinitatis.

PRÆLVDIVM I. Statue tibi præ oculis omnes
Sanctos, & Sanctum Sanctorum Christum, vnitis voci-
bus dicentes: *Fiat voluntas tua.*

PRÆLVDIVM II. Pete a Deo vt & intellectum
tuum conuincas, & voluntatem accendas, quò in deli-
cijs reponas, conformari voluntati diuinæ.

PUNCTUM I. Reuoca in memoriam dictamen il-
lud: Nihil fit sine voluntate Dei. Et considera, tam
certum esse illud dictamen, quàm certum est, ipsum
Christum, Deum esse: idem enim Christus, qui nos do-
cuit per Euangelium, se Deum esse, docuit, quòd, *sine
voluntate Patris capillus de capite nostro non peribit, quòd
passer sine illa, non cadat in terram.*

Ostendit id & lumen intellectûs: quia si aliquid fie-
ret, sine Dei voluntate, hoc ipso Deus, non esset Deus,
non enim esset omnium rerum Rector, & Dominus.
Et si laus est Ducis Exercituum, vel Gubernatoris Ci-
uitatis, si omnium sit conscius, omnia nutu suo admini-
stret; multò magis ad perfectionem Dei spectabit, vt
sit omni-scius, omni-volitivus, omni-concurfivus. Strin-
ge ergo & fide & demonstratione naturali, tuum intel-
lectum, ad penetrandum hoc dictamen: Nihil fit sine
voluntate Dei.

Rogote, si audires vocem è Ss. Eucharistia prode-
untem, & quidem non à te tantum, sed & à circumstan-
tibus auditam: Fac hoc, est hæc mea voluntas; nonne

con-

contentus fores? nonne te in hanc Dei voluntatem. 153
remitteres? resignares? Et quare contentus non es,
dum aliquid tibi occurrerit? cum maiori certitudine
affecuret te S. Euangelium, quòd nihil fiat sine volun-
tate Dei.

Considera, quando aliquid tibi offensæ fit à proxi-
mo, duo illic reperiri, actionem peccaminosam, & tu-
am afflictionem. Actionem peccaminosam non vult
Deus, voluntate beneplaciti non enim Deo placet in-
iustus, & iniustitia eius; sed quod attinet ad tuam affli-
ctionem, quæ secutura est ex suppositione peccati,
cum illa possit tibi esse ad meritum, & præmium vitæ
æternæ, illam non permittit, sed voluntate beneplaci-
ti, vult Deus. Reuoca ergo tibi in memoriam omnes
afflictiones tuas, & agnosce, voluntatis Diuinæ fuisse,
vt illas patereris. Dole, quòd illas tanquam è manu Do-
mini prouenientes, non receperis, emendationem
propone.

Statue vterius tibi ante oculos, omnes illas aduerfi-
tates, quæ tibi occurrere possunt, & ad intuitum illa-
rum exclama: *Fiat voluntas tua.* Propone tibi ob ocu-
los amissionem bonorum, fortunarum, fauorum, æsti-
mationis humanæ, commoditatum; si te illis Deus spo-
liatum vellet, numquidne contradiceres Deo? Statue
tibi præ oculis debilitates corporis, vulnera, ægritudi-
nes: si Deus vult te illis conflictari, acclama illi: *Fiat
voluntas tua.* Statue tibi præ oculis mortem tuam,
mortem charorum præambulam tuam, si Deo Do-
mino ita placet, cur non osculaberis manum eius?
cur non dices: *Fiat voluntas tua.*

PUNCTUM II. Considera motiua, quæ habere pos-
sis, ad conformandam voluntatem tuam, cum diuina.

I. Siquidem sine voluntate diuina, nihil fieri potest,
nec quisquam contra nutum beneplaciti illius quic-

v

quam

154 quam efficere potest, cur non potius voluntariè te illi subdas? *Fiat voluntas tua.*

2. Quis non gauderet, si eiusmodi haberet Parentem, vel Dominum, cuius voluntati obediendo, nec aberraret, nec vnquam successu careret; talis Pater, talis Dominus, Deus noster est, cuius conformando nos voluntati, nunquam detrimentum patiemur, qui facit cum tentatione prouentum. *Fiat voluntas tua.*

3. Qui conformat voluntatem suam cum diuina, illi nunquam quicquam occurrit, contra suam voluntatem. Quid non faceres, si toties plueret, quoties tu velles, toties non plueret, quoties ut pluat nolles? sit tua voluntas conformis diuinæ, & toties pluet, quoties volueris, quia toties pluet, quoties Deus voluerit, & tamen illius voluntas, tua voluntas est. Quid non dares, si toties ægrotares, valesceres, quoties velles? habebis id, quoties volueris, quia habebis, quoties Deo placuerit, placitum autem Dei, tuum placitum est.

4. Inter effectus prædestinationis diuinæ, vt docet constanter S. Theologia, sunt etiam mala, cruces, ægri- tudines, infamiæ, dishonorationes. Ex diuinæ voluntatis, beneplacito, (vt speras) prædestinatus es: amasne prædestinationem tuam? quis illam non amaret! accepta ergo cruces tuas, sicut effectum voluntatis diuinæ prædestinantis, corde dicens: *Fiat voluntas tua.* Rursus, sicut prædestinationem nostram meruit Christus, ita & effectus prædestinationis nostræ, hoc est cruces, ægri- tudines, meruit nobis: en ex merito passionis Domini illæ proueniunt, vt occurrerent, Christus ea- propter mortuus est; cur ergo non acceptabis ea, quæ vt in te ingruerent, Filius Dei mortuus est. *Fiat voluntas tua.*

5. Christus in quantum etiam homo est, erat tantæ æstimabilitatis, & tanti pretij, vt etiam si tota creatura

155 corrumpi, in nihilum redigi deberet, pro tutanda vita, imò minima, & minimis minori commoditatula Christi, deberet, ob hanc tutandam commoditatulam, impendere se totum Vniuersum; & tamen Christus, ita conformabat voluntatem suam cum voluntate Patris, vt sciens voluntatem Patris sui esse, vt mortem subiret, eam subierit, & quidem non quamcunq; sed infamem, sed crudelem, sed patibulariam, malueritq; mori, vitam amittere, quam voluntati Patris non satisfacere. Estimabisne tu te ipsum plusquam Christum? qui maluit mori, quam difformari voluntati Patris, & tu voluntati illius subdere te non vis! *Fiat voluntas tua.*

PUNCTUM III. De modo indagandi voluntatem diuinam. Quæ præcepta sunt à Deo, Ecclesia, obligatione sacra, quam tu tibi imposuisti, indubiè voluntatis est diuinæ, vt ea facias, quia voluntas eius est, Sanctificatio nostra. Rursus index voluntatis diuinæ est, ipsa conscientia dictans, prohibens, mandans: voluntatem Domini non vult facere, qui seruum, nomine Domini imperantem, non audit. O quoties tu es transgressus voluntatem diuinam, prædictis modis intimatam! carnifex fuit tibi conscientia tua, nec tamen eam audisti! Quod est index horologii, notans rotarum decursum, & inclusum horæ metiendæ tractum, hoc in nobis est rationis lumen; ad hoc nobis illud Deus indidit, vt illud sequendo, sequamur voluntatem Domini. Sequerisne semper hoc lumen!

Sed quomodo voluntatem Domini in rebus dubijs inuestigare poterimus? poterit vsui venire doctrina S. Patris Ignatii, tradita in modo posteriori bonæ electionis. Si quis mihi vtr amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse cupiam, occurreret, dubius super electione huiusmodi: quidnam ego illi decernendum, maxime essem consulturus? quo animaduerso, agendum &

456 mihi ducam, vt suaderem alteri. Item, debeo mecum reputare: si mors ingrueret, quem me malle obseruasse modum? in præsenti deliberatione, iuxta hunc igitur eligendum nunc esse, facile intelligam. Insuper, quando pro Tribunali diuino sitereris iudicandus, quo consilio hac in re vti, esses voliturus? hoc ergo nunc vtere, vt eo tempore magis sis securus. Ita ne tu tuas moderaris deliberationes?

Iuuerit, pro inuestiganda voluntate diuina in rebus dubijs, vti consilio prudentis & probi viri. Qui autem sub obedientia, & sub voluntate superioris vivunt, voluntati eius satisfaciendo, faciunt voluntatem diuinam, ex doctrina S. Pauli: Obedite Præpositis vestris, sicut Domino & non hominibus.

Addo, si adhibitâ requisitâ diligentia ad opus aliquod consummandum, illud tamen non successerit, signum erit à posteriori, non fuisse voluntatem Dei, vt id fieret. Fac propositum ita indagandæ voluntatis diuinæ.

Recense tecum, & iteratò iteratòq; recense, quidnam tibi graue in hac vita mortali accidere possit? & resolue te, vt si voluntas Dei fuerit, id in te imittere, conformes te voluntati eius. Hoc mi Deus volo, quòd tu mi Deus vis.

COLLOQUIUM dirigatur ad Christum Dominum, in horto orantem, & in Patris se resignantem voluntatem, à quo, per tot illas sanguineis sudori guttas petes, vnâ hanc gratiam, conformandi scilicet voluntatem tuam, cum diuina.



MEDI-

MEDITATIO

De deuotione ad Ss. Eucharistiam.

PRÆLVDIVM I. Statue te ante Ss. Eucharistiam, idq; proximè flectentem, eo situ, quo solet pingi Beatus Aloysius, cuius pectus, à Ss. Eucharistia ignescit.

PRÆLVDIVM II. Pete gratiam, vt & cor tuum, amore Ss. Eucharistia, incendatur.

PUNCTUM I. Considera, quid sit in Ss. Eucharistia inclusum?

I. Est inclusa per Circum-infessionem tota Ss. Trinitas; quæ Circum-infessio fundatur in identitate naturæ, inseparatione q; personarum; hinc quia in Eucharistia est specialis, hoc est Sacramentali modo, Persona Verbi, etiam per Circum infessionem, tota inibi reperietur Ss. Trinitas; ita vt in sumptione Eucharistia, impleatur illud Euangelij: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Adora ergo Ss. Eucharistiam, tanquam contentiuam etiam Ss. Trinitatis, adora autem abyssali, fundum non habente, inclinatione. Quid est cœlum? est domus Ss. Trinitatis, in qua gloriam suam manifestat; & tu communicando, eris cubicellum eiusdem! Sanctum nunc es tu, dignum nunc es, Ss. Trinitatis, in Eucharistia te adeuntis, cubiculum? Tædet interdum viuere Sanctos, eò quòd non euadant ad visionem Ss. Trinitatis, inelamantq;: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei.* Tædet nunc etiam te, vt recipias in te venientem in Eucharistia Ss. Trinitatem, Deum tuum? In angustijs tædij, æger numerat quadrantes & horas, & omnis mora, nimum illi diuturna est: Numera & tu horas, quæ tibi restent, ad sumptionem Ss. Eucharistia? V3 2. Con-

2. Continetur in Eucharistia Corpus Domini Iesu, tale, quale est in cœlo, hoc est cum quinque sacratis vulneribus suis. Quid non dares, si te Dominus Iesus admitteret ad osculum pedum suorum, si te manibus suis stringeret, cordi suo admoueret? totum id in Eucharistia habes. Esne Sanguisuga vulneribus Domini tui inhaerens? Inuides, sanctam inuidiam, felicitatem Sanctæ Mariæ Magdalenæ, quod ad pedes Domini se se prouoluerit: en & tibi parem gratiam offert Christus, dum ad te in Ss. Eucharistia contendit. O quanta felicitas S. Pauli inelamantis: *Ego stigmata Domini IESU in corpore meo porto!* Portas sumptam à te Eucharistiam, portas stigmata Domini IESU. Mirum tibi videatur, adeoque dignum ut stupore afficiaris, quod ita tibi vulnera Domini Iesu vicina, & tam frequenter facias, nec tamen sis impensius Crucifixo Domino affectus.

3. Quod continet Ss. Eucharistia, est Corpus illud ipsum, quod est ex Beatissima sumptum, est illa ipsa substantia, quæ erat antè pars Corporis Beatissimæ, nunc iam in Christo deificata, Christifata! Magna illa fuit S. Bernardi felicitas: hinc pasci à vulnere, hinc lactari ab ubere! ad hanc felicitatem te in Eucharistia euocat Christus. Desidera ergo, quam citissime, quam frequentissime illam uti, dole supra infelix palatum tuum, quod delicias illic inclusas, non sentiat, non gustet, non percipiat.

PUNCTUM II. Commemora tibi, sensus aliquos seruorum Dei circa Ss. Eucharistiam. Beatus Stanislaus Kostka, ab Angelis Ss. Eucharistiâ refectus. Esne tu dignus hac gratia Domini tui! forte Angeli, à danda tibi communionem, intuitu reuerentiæ Domini tui & sui, excusarent se. Sanctus Borgia ipso odore discernbat, ubinam verè consecrata esset hostia; talesne tibi nares? Sancta Catharina Senensis, pluribus die-

bus,

bus, sine vlllo cibo, solâ Eucharistiæ sumptione vegetabatur; & te, multumne refocillat hic cibus? Sanctus Philippus Neri, cum tali desiderio sumebat sanguinem Domini, ut ipsum calicem, dentibus arroderet; tibi autem euiluit, quotidiana facta est Eucharistiæ sumptio! Dole de hoc tempore tuo.

PUNCTUM III. De deuotionibus ad Sanctissimam Eucharistiam. 1. Quos actus, elicis, ante & post communionem? 2. Quo cultu genua flectis ante Eucharistiam? 3. Estne tibi gustus, in deuotione, quam habuit Sanctus Franciscus, adorandi Eucharistiam, in omnibus Ecclesijs, in quibus illa reperitur? 4. Quid facies, ut te dignum reddas, dono Communicandi in agonia? 5. Quem actum facies, facies, dum videbis alios communicantes? 6. Quæ tibi deuotio, dum is versus Ecclesiam, in qua habetur Eucharistia? 7. Quid facies in supplementum eorum despectum, quos Christus tulit, feret, in Eucharistia, ab Ethnicis, Iudæis, Hæreticis, Sagis, Schismaticis, à Catholicis indignè Eucharistiam tractantibus? 8. Quæ tibi deuotio est, erit, quando publicè exponitur Eucharistia? 9. Quæ tibi deuotio ad Eucharistiam sub initium diei? 10. Quid facies ut decores labia tua, pro sumenda Eucharistia? II. Habitas in vicinia Ecclesiæ, Eucharistiæque inibi contentæ; colisne iura vicinæ, cum Sanctissimo Sacramento?

COLLOQUIUM. Saluta Sanctissimam Eucharistiam Cracouiæ, & totâ Poloniâ; Viennæ, & totâ Germania; Romæ, & totâ Italiâ; Parisijs, & totâ Galliâ; Madriti, & totâ Hispania; Vlyssipponæ & totâ Lusitaniâ; Goæ, & totâ Indiâ. Saluta Eucharistiam inter Ethnicos, Saracenos, propè Iudæos, inter Hæreticos, Schismaticos, prorsus toto mundo existentem. Pete saltem tot gratias, quot sunt hostiæ in mundo consecra-

tæ,

te, & quos sensibilibus partibilitatibus, inexistit Christus. Pete gratiam deuotè communicandi, præcipuè post hanc factam meditationem: pete gratiam & suscipiendi, & deuotissimè suscipiendi, viaticum.

MEDITATIO DE CHRISTO CRUCIFIXO.

PRÆLVDIVM I. Statue te in monte Caluarie, in prospectu ipsius Crucifixi Domini.

PRÆLVDIVM II. Pete gratiam sentiendi in corde Tuo, quia *Amor Tuus Crucifixus est.*

PUNCTUM I. Collige omnes vires imaginationis, & attentionis tuæ, vt exprimas tibi totam Imaginem Crucifixi: id est, quale Caput, qualiter collocatum? quales palpebras, sanguine grauatas: quàm proximè mortem stupentes oculos, frigentem nasum, intumescencia labia, os diductum: qualia brachia, quàm latum vulnus manuum, pedum: quale dorsum &c: quàm patulum, & hians vulnus cordis, habuerit? Fac affectus. 1. Quòd velis, pro te talem factum, frequenter tibi in cogitatione sistere. Petesq; vt se in corde & memoriâ tuâ effingat, inculpat, indelebiter imprimat. 2. Singulis his vulneribus, si non lacrymas, saltem cordialem compassionem immola. 3. Singula osculare.

PUNCTUM II. Partire tibi vulnera Domini tui: & cogita è conuerso peccata tua; v. g. peccata tactus cogitando de manibus: peccata cogitationum, cogitando de capite: peccata affectuum, cogitando de corde &c. 1. ergo pro his omnibus, ad singula vulnera, dole. 2. Offer in satisfactionem Deo, & spectaculum ipsi Filio, ipsiusmet vulnera. 3. Pro singulis talibus

bus peccatis, accipe proportionatè sanguinem Christi. v. g. contra inordinatos affectus, accipe sanguinem Cordis IESU, illumque tibi applica in remedium. 4. Conuerte te ad peccatores: adhortare illos ad dolorem, & ita dolentibus, applica in remedium proportionatè sanguinem IESU. 5. Da tibi aliquod spatium temporis, in hac ipsa Meditatione, vt ad singulas respiraciones, ex amore apprehensiuo & compassiuo, dicas: *Amor meus Crucifixus est.*

PUNCTUM III. Elice varios actus circa Dominum tuum Crucifixum, 1. Ad singula vulnera dic: *Dominus meus & Deus meus;* & ad pedes Domini accedendo, facias propositum, perpetuâ cogitatione voluendi IESUM Crucifixum; & dic: *In Nidulo meo moriar.* 2. Ob amorem Dñi mei, *mibi mundus crucifixus est, & ego mundo.* 3. *Viuo ego, tam non ego, viuit verò in me IESUS Crucifixus:* quem cogito, quem amo, quem vtinam imitando exprimam. 4. *Nihil arbitror me scire, nisi IESUM & hunc Crucifixum.* 5. *CHRISTO confixus sum cruci.* 6. *Nemo mihi molestus sit; ego enim stigmata Domini mei IESU in corpore meo porto.* Excitâ in Te desiderium, quòd compassione velles, quinque vulnera Domini tui, in te exprimere. 7. *Quis nos separabit à charitate Christi? sed qualis? Christi Crucifixi.* 8. *Imprecatio toti Mundo: Qui non amat IESUM Crucifixum, anathema sit.*

COLLOQUIUM. Erue tibi cor, offer illud in strophium lacrymis Beatissimæ, vt discas conflare aliquando Domino tuo, cum lacrymis & clamore valido morienti. Pete à IESU Dominium cordis Mariani, vt ex illo vel particulam doloris accipias, cordique tuo ad compatiendum imponas. Post hæc cogita, in quo te hîc & nunc vel maximè vincere posses, & in eo te vinces, ob amorem Crucifixi. Cogita, quid tibi molestissimum esse possit in posterum? offer hoc Domino tuo Crucifixo.



MEDITATIO

De Contemptu mundi, ob amorem Domini Crucifixi.

Hæc Meditatio est compendium, & recapitulatio breuis, Meditationis de Regno Christi.

PRÆLVDIVM I. Statue tibi ob oculos B. Aloy-
sium Gonzagam, pedibus suis proculcantem mundum.

PRÆLVDIVM II. Pete à Deo gratiam contem-
ptus mundi.

PUNCTUM I. Cogita, quare debeas contemnere
mundum? Considera quærere à te Dominum IESUM
Crucifixum: *Diligisne me plus his*, hoc est, mundanis
hominibus? Responde cum S. Petro: *Tu scis, quia amo
Te.* Cogita iteratò, idem à te Christum petere, & cum
S. Petro contristare, quod Christus, propter iteratam
hanc interrogationem, videatur tibi non credere. Ex-
clama ergo cum S. Petro: *Domine, tu qui omnia nosti, tu scis
quia amo Te.* Quòd si mi homo amas Dominum IESUM?
nemo potest duos Dominos amare, mundum & IESUM:
si amas mundum, non amas Dominum IESUM; si amas
Dominum IESUM, non amas mundum.

Testare amorem tuum erga Dominum IESUM. Scruta-
re cor tuum, & quidquid in illo est amoris mundi, il-
lud erade, euelle, eijce.

PUNCTUM II. Considera rursus, quid sit Mundus?
Mundus est, qui cum pro animabus non sit mortuus, &
cruciat, cum animabus nihil boni, solidi, veri, con-
ferat aut conferre possit, eas tamen ab amorosis Domi-
ni IESU visceribus auellit, diuidit, multosq; iniectis compe-

compedibus retrahit. Et amabilisne tu tanti mali au-
ctorem mundum? Gratias age, quòd compedes mun-
di & laqueos agnoueris; & exclama cum Psal: *Dirupi-
sti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* quam
hostiam laudis? Hostia laudis erit status iste meus, in
quo viuere & mori per gratiam Domini mei IESU ele-
gi. Hostia laudis ero ipsemet ego, qui sicut peccando
viuebam in opprobrium Sanguinis Domini IESU, ita
benè agendo, volo viuere in laudem & gloriam Do-
mini mei.

Considera iteratò, quid sit Mundus? Mundus est, qui
vt ametur, nihil pro se rationabile adferre possit, qua-
re amari debeat. Non debet amari propter diuitias:
quia & ipsæ diuitiæ non sunt mundi, sed Dei opus.
Subditus magis æstimat Regem, quàm aureum, quem
illi dat Rex: & tu cur non magis æstimabis Deum,
quàm diuitias? quas ipsas, non mundus, sed Deus facit:
Vis esse diues? cur non potius æternas & perennaturas
quæris diuitias? Non debet amari mundus, propter
delicias: quia momentaneum est, quod delectat, æter-
num quod cruciat: quia delictæ animæ cum Christo,
incomparabiliter magis sunt impletuæ, recreatiuæ,
exsatiatiuæ cordis: Nec lingua potest dicere, nec lite-
ra exprimere, expertus potest credere, quid sit IESUM
diligere. Non debet amari propter honores: quia
sunt incerti; à multis curantur, à paucis accipiuntur;
sunt curarum, vigiliarum, sollicitudinum, seruitutis ac
mancipatus seminarium: quas sollicitudines si Dei cau-
sâ impenderes, ceriè non desiperes. Quæro ex te, vis-
sne agrario homini seruire, an nobili? visne nobili po-
tius seruire, an magnati? vltèrius, visne magnati, an
Regi? o stulticia! & cur non potius velis seruire Regi
Regum, qui longè maiores honores tribuere potest.
Deniq; Dominus tuus IESUS, amore tui, fuit opprobrium

164 *populi, & abiectio plebis: & tu cum Pilato & Caypha,*
optabis potius honoratus viuere!

Exclama cum Bernardo. Dignus est planè morte Domine IESU, qui tibi recusat viuere! Dicit idem Bernardus: Mundus clamat decipiam, Caro inficiam, diabolus interficiam, Christus reficiam: quem sequeris? responde cum S. Thoma Apostolo, qui vt testaretur se nunquam à latere Domini IESU velle recedere, inclamauit: *Domine quò ibimus, verba vite aeternae habes?*

PUNCTUM III. Recita, per secundum modum orandi, protestationem S. Ignatij, ex Meditatione illius de Amore spirituali. Habetur post primum punctum.

IN COLLOQUIO, Obiis osculis singula vulnera Domini IESU, cum affectu repetens: *Domine IESU ego te rogo, vt me acceptes pro seruo tuo.* Cogita tibi obijci à Christo, quòd tu sis iteratò, ad peccata tua, ad mundum, & pompas eius, rediturus. Protestare de tua fidelitate, fidelitate inquam vsq; ad mortem; gratiaque Diuinæ pete auxilium. Imaginare rur sus, te in exedra repositum, compedibus mundi grauatum, projice istas compedes in conspectu totius Concionis, & exclama: *Qui non amat Dominum IESUM, anathema sit.*



MEDI-

MEDITATIO

De deuotione ad Beatissimam.

PRÆLVDIVM I. Statue te ante Beatissimam, in cælo, super thronum suum sedentem, splendore reliquos Sanctos superantem, & ad bene faciendum mundo, semper intentam.

PRÆLUDIUM II. Venerare eandem ita exaltatam, supplica eidem, vt te, non pro filio, non pro seruo, sed pro mancipio, pro iumento suo, acceptet.

PUNCTUM I. Considera, quòd te diligit Beatissima Virgo. Docet Sancta Theologia, quòd eodem habitu, diligatur Deus & proximus, supernaturaliter: consequenter, qui Deum plus diligit, is & proximum propter Deum, plus diligit. Considera ergo qualis strues, qualis pyra amoris, erga te propter Deum, ardeat in corde Beatissimæ? eodem ardore amoris, quo fertur in Deum, fertur & in te, propter Deum; ita vt diuersitas, non nisi ex obiecto, quod amatur, peti debeat. Et ex hoc principio deduc: Cum in te vix scintillet amor Dei, quòd vix etiam scintillet amor Beatissimæ supernaturalis. Pete à Beatissima, vt ex tota latitudine habitus, quem habet amoris diuini, impetret etiam tibi infusionem, augmentum, amoris diuini; vt ita magis ignitè, amare etiam possis Beatissimam, amore supernaturali.

Considera & hoc, quod docet Sancta Theologia: nempe à Beatissima, vna, & sola, plus haberi de habitu amoris diuini, quàm ab omnibus Sanctis collectiue sumptis. Ex quo sequitur, cum mensura charitatis erga proximum, sit ipse amor erga Deum, quòd Beatissi-

X3

ma

166 ma magis te amet, magis tibi bona optet, præ omnibus alijs, simul sumptis Sanctis. Exclama ergo: Quid retribuam Dominæ meæ, pro omnibus quæ retribuit mihi? Offer illi amorem & cultum, quo in illam ferebantur Sancti, qui eam in corpore norant. Offer amorem & cultum, quo in illam ferebantur serui Dei, qui vixerunt ante te, qui tecum conuivunt, qui victuri te mortuo, vsque ad tempora Antichristi. Offer illi amores, quibus illam prosequitur Christus Filius eius, quibus prosequitur Ss. Trinitas.

Confidera item, habere Beatissimam peculiarem aliquem affectum ad peccatores: hinc dicit Ecclesia de Beatissima: Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam fores, tanti Mater filij. Vel ergo peccator es, vel sanctus? si peccator es, maxime ergo peccatores amat, si Sanctus, te, tanquam filium suum, amat, amabitque.

Denique considera, magnum esse documentum, quod te amet Beatissima: quia tam varia, tam magna, fecit tibi Beatissima. Et hic reuoca tibi in memoriam, adhuc in pueritia, iam in iuventute, iam in hoc statu, recepta ab illa beneficia. Reddidistiñe ei tot obsequia, quot beneficia accepisti? Dicit S. Bernardus, non de se solo, non de insignibus tantum Sanctis, sed dicit vniuersaliter, dicit de omnibus: *Totum nos voluit habere per Mariam.* Totus ergo cumulus benefactorum diuinorum, transijt ad nos, per manus Beatissimæ; per illam, nobis quæ detulit, detulit Deus. Gratiarum age pro ijs beneficijs, pete vt illa tueatur in te, seruet, augeat. Sed vt habeas euidentiore probacionem, quod te amet Beatissima, circumspice aliquam grauem, animæ tuæ necessitatem, vt ei subueniat feruenter pete, repetitò pete; & si non exaudierit, dura in petendo; & euentus ostendet, quia & hoc beneficium impetrabit tibi, aut alio meliore supplebit, modò non impedias, pec-

can-

167 cando, nec te corrigendo, propensissimam Beatissimæ erga te beneuolentiam. Et quomodo non inardescet cor tuum ad amorem, ita beneficæ erga te Matris Dei?

Cantabat Beatissima: *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum nomen eius.* Dic & tu. Magnificat anima mea Mariam, & exultauit Spiritus meus in Matre Dei protectrice mea. Quia fecit mihi magna, & toties, quæ potens in cælo est, & Sanctum sit nomen Maria.

PUNCTUM II. Examina deuotiones tuas ad Beatissimam. 1. In tuis omnibus deuotionibus, habetne Beatissima suam partitionem? 2. Quo affectu condis, & quibus subrogatis sensibus dicis, salutationem Angelicam? & tamen illa est à Ss. Trinitate composita, primusque, qui illam diceret, Angelus Gabriel fuit. 3. Quas deuotiones usurpas in dicenda Corona, vel Rosario? 4. In Litanijs de Beatissima, cuius titulo specialius afficeris? saltem cordialius dic: *Refugium peccatorum.* 5. Usurpasne deuotiones ad Beatissimam, quas adhuc puer obibas? 6. Officium de Immaculata Conceptione, aut quod vocant paruum, sapitne tibi? sed vide, vt & Deo sapiat, ob impendia deuotionis tuæ. 7. Cui festo Beatissimæ specialius afficeris, specialius afficit vis? 8. In vigilijs Beatissimæ quid mortificationis facis? 9. Sabbatho, quid specialius in cultu Beatissimæ obis? 10. Præuidistiñe deuotiones, quas, singulis Beatissimæ festis, facias? 11. Delectatne te Polonium, audire, & delectatne cordialiter, quod Beatissima sit Regina Poloniæ? 12. Facistiñe aliquid in gratiarum actionem, pro beneficijs ipsi Beatissimæ à Ss. Trinitate collatis. 13. Quem actum, vel reuerentiam facis, dum dicis, dum audis, nomen Maria? 14. Quo actu colis Beatissimam, dum pertransis imaginem illius? 15. Potestne

168 **tesne** etiam gloriari, quod aliquem induxeris speciali-
ter, ad deuotionem erga Beatissimam? 16. Persenti-
scisne sincerè, cordialem affectum, erga Beatissimam?
Deniq; desiderasne, & quidem penetratiuo desiderio,
vt tibi in agone tuo, appareat Beatissima Virgo? Fac
circa omnia propositum, sed statim inchoa adimpleres;
ea autem quæ diuturniori tempore indigent, in proxima
refer deliberationem, & præmeditationem.

PUNCTUM III. De aliquibus deuotionibus erga
Beatissimam.

Prima & quidem fundamentalis est, Puritas consci-
entiæ; ne villo vnquam mortali peccato offendas Domi-
num IESUM, etiam hoc inter alios titulo, quia est Deus,
Filius, vnicus amor, Beatissimæ. Sed fortè conscientia
tua est talis, qualis fuit illius, cui in somno oblata ele-
ctuaria, sed in lance sæda; ad ostendendum, quod
obiret pulchræ officia deuotionis, sed conscientia,
peccato sædatâ.

Secunda deuotio est, ad Beatissimam, secundum
quod, planè cum anima & corpore, in cœlo iam exi-
stentem. Oscularisne eius pedes, qui in vtero Virginis,
nouem mensibus inclusum, portabant Dominum IESUM?
esne deuotus ad viscera Beatissimæ, quæ fuerunt
cubiculum Domini IESU? Venerarisne illas manus,
Domini tui gerulas? illa vbera, quæ lactârunt, illa la-
bia, quæ osculata sunt Dominum? Ecclesia singulari
sensu fertur ad oculos Beatissimæ, de quibus ait: *Illos
tuos misericordes oculos ad nos conuerte.* Appella illos ocel-
los, vt in te, domum tuam, Patriam tuam, mundum
vniuersum, conuertantur.

Tertia deuotio est, ad imagines miraculosas Beatissi-
mæ, vbicunq; tandem locorum positas. Præcipuo
cultu venerare domum Lauretanam, quam ideo diui-
na prouidentia ad nostras transtulit regiones, vt ad cul-

tum

tum Deiparæ exciraretur. ⁿFlecte, corde, in domo illa, 169
caminum sacrum osculare, vota & necessitates tuas,
prouolue. Apud nos in Polonia maxime fulget beni-
gnitas Beatissimæ erga nos, ad imaginem Czestochoui-
ensem. Frequenterne illuc corde & affectu vadis?
Refer huc & alias imagines miraculosas, de quibus tibi
constat, imò quæ vbicunq; tandem exstant, illasque
venerare.

Quarta deuotio ad Beatissimam, est in illis locis, in qui-
bus vitam egit Beatissima, nunc in Turcica captiuitate
manentibus. Corde illa osculare, in illis deuotiones
tuas obi. v. g. in illo loco vbi Beatissima agonisauit, pe-
te tibi donum felicitis & Sanctæ agonis, & vt non ex-
cedas ex hac vita, nisi in agone tuo, oculis corporeis,
videris Matrem Dei tuam. Ad sepulchrum Beatissimæ,
ora, vt sis mundo mortuus & sepultus, ita viuendo, ac si
iam in mundo non esses, totus in Deum absorptus.

Quinta deuotio ad omnes imagines Beatissimæ, vbi-
cunq; dishonoratas, cultu carentes. Imò extende deu-
otiones tuas, ad quæcunq; loca in quibus postea, vel
honorabitur, vel dishonorabitur specialius Beatissima.

COLLOQUIUM. Statue tibi Beatissimam præ oculis,
eâ formâ, quâ illa depingi solet, fundamento etiam
in Genesi habito, quod calcet caput Draconis: pete ab
illa, vt trudat, & extrudat Draconem istum; tu autem
cor tuum & caput subde pedibus Beatissimæ, rogan-
do, vt etiam in felici æternitate, secundum corpus &
animam, locus & habitatio tua, sit, sub pedibus Beatissi-
mæ in æternum Amen.



Y

ME-

ut Iuroflavienf



MEDITATIO

De Amore DEI.

PRÆLVDIVM I. Imaginare te videre S. Paulum scribentem: *Qui non amat Dominum IESUM, anathema sit.*

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam amandi illummet ipsum.

PUNCTUM I. Cogita, quantam necessitatem imposuerit sibi Deus amandi te? Prima necessitas est negatiui amoris, quòd te Deus odisse non possit. *Nihil enim, inquit scriptura, eorum odisti, quæ fecisti.* Necessitas item amoris positiui: dicit enim Deus, se vidisse, bona omnia, quæ fecit. Necessitas insuper est amandi te, quia, vt speras, es inter prædestinatos filios eius. Necessitas est amandi te: quia es pretium sanguinis Iesu, tantum vales, quantum sanguis, vita, mors eius, quantum ille ipse: quia pretium Tui se fecit. Necessitas est Deo amandi te: quia, vt speras, posuit in te qualitatem Diuinam gratiæ suæ, quæ est consortium Naturæ Diuinæ; & sicut nemo carnem suam odio habuit, sed diligit eam: ita nec Deus odit consortium naturæ suæ, sed diligit illud. Necessitas est Deo amandi te: quia, vt ait Chrysostomus, concorporeus factus es Christi, per tot Sacras communiones, & caro de carne eius.

Necessitas est Deo amandi te, & præcipuè Spiritui S. cui attribuitur specialiter amor nostrî: quia esse eius personale, ex amore, si non tuæ existentia, certè tuæ possibilitatis, spiratum est.

Et quam tu homo imposuisti tibi necessitatem amandi

di

di Deum? Ama illum, quia te odisse non potest. Ama illum, quia te prædestinavit, & gratificauit. Ama Naturam, cuius particeps es per gratiam. Ama sanguinem Christi, qui tibi creuit, tibi fusus. Ama concorporeum tibi Deum. Ama Deum, cuius personale esse possibilitatem tuam respicit. Gratulare Sanctis, qui necessariò iam in cœlis amant Deum. Desidera hanc cœlestem necessitatem, & in hac vita, gratias perpetuò & perpetuò amandi Deum tuum.

PUNCTUM II. De notis Amoris Dei. *Ille in amore Dei maior est, qui ad eius amorè quàm plurimos trahit, inquit August.* Quem tu vnquam traxisti? Resolue te, vt trahas.

Nota amoris Dei est, fuga vel leuissimi peccati: quanta illorum in te turba?

Nota amoris Dei est refrenatio passionum: quàm in te illæ rebelles?

Nota amoris Dei est, ipsemet amor perpetuæ cogitationis & inhætionis Deo: quàm tu rarò de illo cogitas? Nota amoris est, dolere, quòd, vel alij Deum, vel tu ipse, vt potes & debes, non ames: quàm parum te hoc tangit?

Nota amoris Dei est ipsemet amor: vt nihil ames, desideres, nisi Deum, vnum tuum gaudium, diuitiæ, sanitas, recreatio, sit Deus.

Nota amoris Dei est, vt tibi hæc vita mors sit, quia non euadis ad amorem illum Patriæ, eiusq; mensuram, quam tibi Deus præparauit in æternum.

Sed quàm parum te hæc omnia tangunt? Resolue te tandem ad amandum Deum.

PUNCTUM III. De varijs excessibus & significationibus Amoris Dei. Vellem potius annihilari, quàm non amare Deum. Si per impossibile haberem aliquam perfectionem, quâ Deus careret, quâ si destitueret impossibilis redderet, & quam si Deus haberet, euaderet

Y 2

Deus

172 Deus, vellem illâ perfectione Deo cedere. & hic, puto, fuit actus S. Augustini. Fieri potest quòd sis damnandus: velis in hac vita satiari amore Dei, & hic fuit actus S. cuiusdam Eremitæ, in Vitis Patrum. Velis extinguere infernum, comburere cœlum, vt nemo Deum amet ob timorem poenæ vel spem præmij, sed propter solam & puram eius bonitatem infinitam. Malis propter Deum amatum esse in inferno, quàm propter odio habitum in cœlo. & hic fuit actus S. Anselmi, & Thomæ de Kempis. Velis obstruere locum inferni, osq; illius patulum, obstruere te ipso, ne in posterum quidquam penetret Deo Tuo. & hic actus fuit S. Terefiæ. Velisq; in cœlo, ab omnibus alijs Sanctis, omnibus alijs donis superari; ne tamen vllus te superet, amore Dei. Velis cum S. Ignatio intuitu Dei, tuæ etiam incertus salutis, animas conuertere, quàm certus eiusdem, ex templò saluari. Opta tibi tam feruentem amorem, quantum habuit S. Xauerius: vt cogaris dicere. *Satis est, satis est Domine.* Opta tibi amorem S. Francisci; vt inclames: *Deus meus & omnia.* Opta tibi, vt cor tuum transfigatur, vt transfixum S. Terefiæ. Opta tibi amorem tam vrentem & æstuantem, vt cum B. Stanislao, vel ipsis vndis exterioribus indigeas. Opta tibi amorem Catharinæ Senensis, vt cor tuum accipiat Christus, & tradat tibi suum: dignusq; sis, cum quo officium Diuinum vel ipse Christus recitet. Opta tibi amorem S. Philippi Nerij, qui vt diductius posset amare Deum, pectus illi Angelicâ ope laxatum est. Quid mulra? Opta tibi amorem, quo MARIA & Humanitas Christi amat Deum. Dentq; amorem, quo ipse Deus amat se.

COLLOQUIUM cum ipso Personali Amore Diuino: petendo, vt tu euadas, substantialiter, vt ita dicam, & transcendentaliter, Amor ipse Dei.

MEDI-

MEDITATIO

De reingressu in Religionem.

PRÆLUDIUM I. Imaginare, quòd stes ante conspectum Sanctissimæ Trinitatis, ante quam, imaginare quòd videas Angelum Præpositum Religioni tuæ, vnâ cum illius Fundatore, indignabundos, contrate.

PRÆLUDIUM II. Pete, vt agnoscas causam indignationis duorum horum, erga te, & gratiam eos tibi reconciliandi.

PUNCTUM I. Cogita, hos duos, instigare contra te vt dimittaris, extrudaris è Religionem. 1. Quia dignos fructus poenitentia pro peccatis secularibus non fecisti. 2. Quia peccata in Religionem auxisti. 3. Quia Regulas non seruasti. Tuñe castitate Angelus? Tuñe magis optas pauperiem, opprobria, infamiam, præ bonis seculi? Tuñe continuam quæris in omnibus mortificationem? Tuñe omnem conaris possibilem, adipisci perfectionem? 4. Quia in tot Confessionibus faciendis, audiendis Missis, Communionibus, si non deliquisti, imperfectus fuisti. 5. Quia zelus animarum nullus in te. 6. Quia ipse vocationem tuam, fortè non affectu, sed indubiè re contempsisti, difformiter ei viuens. 7. Quia plures in hac Religionem Fratres afflixisti. 8. Multos externos scandalisasti. 9. Spiritum Religionis non habuisti. Et pro illis, & pro illis, & adhuc pro illis, quæ DEUS, & tu nôsti, pro quibus omnibus, adducet te DEUS in Iudicium.

Hac instigatione contra te propositâ, conuerte te ad Religionem tuam triumphantem in cœlo. Cogita discernere contra te primarium, post S. Fundatorem, Re-

Y3

ligi-

174 ligionis tuæ Sanctum: quia te non vincis (quod semper Sancti commendant) non cum illo, vsq; ad sanguinem tentationibus resistis, non viuis in rerum inopia, non zelus animas. Decernit contra te & alter è tua Religione Beatus: quia nulla tua oculorum modestia, non castitas Angelica, non flagellationum vsus, & quia vita tua difformis Sanctis fuit. Decernit contra te & hic adhuc Beatus, ob vocationis gratiam non æstimatam, cuius in illo tantus amor; ob indevotionem erga Eucharistiam, ob negligentem Beatissimæ cultum.

Decernit contra te ille Sanctus, quia nulla in te mortis memoria, nulla humilitas, nullus contemptus terrenorum. Decernit ille Sanctus Frater, quia vsus consuetorum humilitatis officiorum, in Religione, nullâ à te deuotione condiebatur. Decernit deniq; contra te, tua propria conscientia.

Imaginare ergo (quod alicubi in visione re ipsâ apparuerat) disrumpere supra te Sanctum tuum Patriarcham vestem tuam Religiosam, euadereq; te ex Religioso secularem. Non fle, non, sed eiula, quia à te accipitur donum salutis & prædestinationis tuæ, quia à te accipitur vestis, quam tibi Sanguine suo & vitâ promeruit IESUS. Vestis hæc tibi fuit pallium Beatissimæ: quousq; sub illa fuisti, sub pallio Beatissimæ fuisti; hæc tibi vestis accipitur!

PUNCTUM II. Accede ad attributum misericordix quæ Deus est, & dic illi: *Miserere mei Deus, secundum magnam, ô verè magnam, quia nisi magna erit, peccatis meis par non erit, misericordiam tuam.* Elice actum doloris intensiorem, intensissimum, sed adhuc hoc parum, intensissimo intensiorem, de peccatis secularis & Religiosæ vitæ tuæ. Accede ad pedes IESU pro te crucifixos, hiantes: hinc Magdalena scelerum suorum veniam obtinuit, cura & tu vt obtineas. Projice te, & per

175 per vim intrude in hæc foramina, vt in illis incalcas, ad salutem purpureris, dignus efficiendus religiosâ veste.

Jam ita in vulneribus pedum IESU inclusus, exere manus, stringe MARIE pedes, qui Draconem inferni assueti calcare, nec te dedignabuntur. quem enim illa recurrentem reiecit? O mea Domina, o mater mea, cuius ego non sum dignus vocari filius: Tu me in Religionem duxisti, tu in Religionem reduc, serua.

O S. Pater parce, & precare pro me Filium Dei, & Matrem Dei. Tantum de dolore habes, quod non sis dignus veste Religionis, vt ipsa Religio triumphans, tui ex compassione miserta, pro te supplicet.

Imaginare ergo S. Patrem, deprecantem pro te, deprecantes tuæ Religionis Sanctos, deprecantem Angelum Custodem, deprecantes Sanctos qui tuæ Religionis operâ in cælum ingressi, deprecantem ipsam Beatissimam, & Dominum IESUM, quâ Mediatorem. Tu autem videns has preces illorum, dole, quod ad hunc statum deueneris; Pete exaudiri orationes tam altas: Propone emendationem; Ita desidera reuestiri veste religiosa, vt id, etiam sensibiliter te afficiat.

PUNCTUM III. Cogita quod Pater æternus recommendet te Filio suo, vt sit tibi in Religione propitius. Cogita Filium te ex suis pedibus eximere, decoratum sanguine & Spiritu feruentiorem, tradereq; Matri suæ Beatissimæ vestiendum. Cogita Matrem beatissimam ope S. Patris, te reuestientem, religiosâ veste. Gratias age Misericordix Dei, Sanguini IESU, manibus, cordi, pedibus MARIE. Gratias age S. Patri pro iterata admissione, cælitibus pro intercessione; & protestare coram cælo & terra: quia in posterum vis viuere dignè veste hac, dignè vocatione ad Religionem.

COLLOQUIUM facies, dicendo genuflexo ante S. Fun-

176 Fundatorem Formulam votorum, singulis immorando: & cogita tibi dari ab illo benedictionem, ijs verbis, quibus proximè quendam Nostrum, miraculosè ab extrema infirmitate & morte liberatum, affatus est S. Pater Ignatius. *Dominus te benedicat, & ab omni malo defendat, & ad vitam perducat eternam.*

MEDITATIO

De Fine Exercitiorum.

PRÆLUDIUM I. Imaginare te vocari ab Angelo Custode, ut reddas rationem Exercitiorum tuorum.

PRÆLUDIUM II. Pete gratiam condignè & finiendi Exercitia, & supplendi defectus.

PUNCTUM I. Imaginare te stare coram Prouidentia Diuina, quæ ab æterno decreuit dare tibi hoc medium salutis: reddè illi rationem, quomodo illo es vsus? Non potestne acclamare Prouidentia Diuina: *Curauimus Babylonem!* Quamdiu Deus erit Deus, iam hæ horæ non redibunt, horæ salutis, horæ pœnitentiæ, horæ emendandæ conscientiæ, horæ reddendi te verè sanctum. Fecisti hæc omnia? Gratias age Prouidentia Diuinæ, pro hoc medio. Gratias age si hæc fecisti; si non fecisti, tibi, tibi imputa. Indubiè tam vasta media, & conuersione vix non totius mundi comprobata, pauca Orbi proposuit Prouidentia Diuina. Si tibi hoc medium profuit, gaude. Inuita Angelos, ut tibi congaudeant peccatori conuerso. Si non profuit, aut vix profuit: cogita, quod medium iam expectabis à Prouidentia Diuinâ? Vrge, Prouidentiam Dei: Ne despicias peccatricem animam meam, & quia infinita es, exhauriri non potes: si hoc medio non profeci, provide & aliud, & aliud medium. Sed esse illo dignus?

Fac

177 Fac me eo, Tu ipsa Sancta Prouidentia, dignum; nuncquid enim tibi vna benedictio est ô Pater mi, Prouidentia Deus! O Domine, da dolorem verum: sed hoc parum; da supernaturalem, nec hoc sufficit; sed dolorem da, eò, quia Te summum & infinitum Bonum offendi; habeam illum & sufficit mihi. Da ut æstimem mala, præ bonis seculi, amore Crucifixi. Da ut Amor meus Crucifixus sit. Da mihi amorem Tui super omnia: & iam Domine, finem Exercitiorum habebō.

Imaginare te stare coram IESU Crucifixo: redde ei rationem Exercitiorum tuorum. Impresisti ne illum Tibi? Non, non Domine? Concrucifixusne illi es? Viuo ego adhuc, viuit in me caro, & mundus. Exercitia faciunt verum Christianum, faciunt crucifixum mundo, nondum adhuc euasi Domine, nondum euasi. Domine mi iam in cœlo triumphans, retines quidem plagas & vulnera quinque: sed clauos non habes infixos, non insertam lanceam; iube hæc à S. Angelo meo Custode portari, fac meas transfigi manus, transfigi pedes, vulnerari cor, ut mihi IESUS Crucifixus sit, & ego IESU.

Imaginare te stare coram Beatissima; Materni eius amoris opus est, quia te seruauit vsq; ad tempus faciendi Exercitia. Fecisti ne illa secundum gustum Beatissimæ? Potestne iam corde tuo, & animâ tuâ, pascere Beatissimam? adhucne fætes? euasisti ne iam, & quidem in perpetuum, vas in honorem, hoc est victurus obiectum amoris Mariani? Fiat, fiat. indubie tamen plura in honorem sui Filij expectauit Beatissima, quàm feceris. Dole, & pete ut Mater Misericordiæ inueniat modum supplendi defectuositatem, tepiditatesq; tuas.

Imaginare Religiose, te stare coram Sancto Patriarcha tuo: euasisti ne verus illius filius his Exercitijs? Dole quòd parum de illius spiritu habeas. Gratias age

Z

pro

178 pro orationibus S. Patri, & Religioni Triumphanti, quas obtulerunt indubie, vt hæc Exercitia benè finire. Per Spiritum illiusmet, pete tibi ab illo, Spiritum, illiusmet ipsius.

PUNCTUM II. Erit Oblationis. Offer omnes dies 30. & decora illos 34. annis vitæ Domini. Offer singulorum dierum 24. horas, & decora illas quadrihorio circiter Christi in Cruce pendentis. Offer omnes cogitationes tuas, & decora illas sanguine Capitis Domini. Offer omnes tuos actus, & decora illos sanguine cordis IESU. Offer omnes genuflexiones, & decora illas oratione IESU, in faciem procedentis. Offer, si vel vnam lacrymulam effudisti, & vt maior appareat, dilue illam lacrymis IESU & MARIÆ, aquâ lateris Domini. Offer reiectas tentationes, & decora actu IESU dicentis: Non mea voluntas sed Tua fiat. Offer omnia respiria pectoris tui, & orna illa, primo respirio IESU, & ultimo, in morte exspirio. Offer omnes oculorum ictus, & decora illos doloribus & meritis oculorum IESU. Offer omnes venarum & neruorum assultus, & decora illos extensionibus IESU in Cruce. Offer te ipsum, & decora, IESU, quod hodie sumpssisti, corpore. Offer in supplementum Exercitia IESU & MARIÆ, exercitia Sanctorum, præcipue exercitia eorum, qui his ipsis, ante te vsi. Offer exercitia eorum, qui aliquando illa facturi sunt. Offer in supplementum nominatim sensus S. Patris, S. Xauerij, primorum Sociorum, qui his Exercitijs, à Sancto Patre Ignatio præscriptis, pro suo & Ecclesiæ bono, primùm vsi sunt. Offer sensus ipsiusmet Dei, quos habuit, & intendit, dum hæc exercitia, S. Patri inspirauit. Offer tua ipsa merita sensus & deuotiones, quas habuisses, si Diuinæ gratiæ in te influxus, vel nunc proximè, vel ante remotè, non impediisses. Compinge omnia, quæ fecisti in Ima septimana, in his duobus.

179 duobus. Finis meus Deus est. Doleo, ex toto corde, quia illum, bonum per essentiam, offendi. Compinge quæ fecisti in 2da septimana. *Elegi abiectus esse in domo Dei mei.* Compinge quæ fecisti in 3tia septimana, & dic: *Amor meus Crucifixus est, nunc & in æternum.* Compinge quæ fecisti in 4ta septimana, & dic: *Amo te super omnia mi Deus, propter te ipsum, infinitè bonum.*

PUNCTUM III. Recita per 3tium modum orandi Psal. 102. *Benedic anima mea Domino, habetur in Matutino Sabbati.*



duobus. Tunc mens Domus. Dolor, ex toto corde
 que illud bonum est effertur. Conspice
 que fecisti in die septima. Regi aether esse in terra
 Deus. Conspice que fecisti in die septima. De
 die: tunc mens Domus. Dolor, ex toto corde
 pinge que fecisti in die septima. Regi aether esse in terra
 omnis in die septima. Regi aether esse in terra
 Pange que fecisti in die septima. Regi aether esse in terra
 Pal. ros. Dolor, ex toto corde, habetur in Ma.
 tunc Sabbat

